MEDITATIO THEOLOGICA AD PARABOLAM Matth. XX, v. I. ad XVI,

DE OPERARIIS IN VINEA

PLACIDAE

THEOLOGORVM

DISQVISITIONI SVBMISSA,

Scriptore

FRIDEMANN ANDREA ZVLICH.

SS. Theol. Licentiato.

IENAE

AERE MARGGRAFIANO

a. cIↄ Iↄcc xxxxI.

VIRO

SVMME VENERABILI, MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

CHRISTIANO LOEBERO,

SS. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO,

SERENISSIMI DVCIS SAXO-GOTHANI
CONSILIARIO ECCLESIASTICO GRAVISSIMO,

DVCATVS ALTENBVRGICI SVPERINTENDENTI
GENERALI, ET IN ECCLESIA PASTORI PRIMARIO
VIGILANTISSIMO,

THEOLOGO

DE OFFICIIS SVIS SPLENDIDISSIMIS, ET DE
VNIVERSA PVRIORE CHRISTI ECCLESIA
MERITISSIMO

VIR
SUMME VENERABILIS, MAGNIFICE, ATQUE EXCELLENTISSIME, PATER IN CHRISTO, DOMINE, ATQUE PATRONE HONORATISSIME,

Celeberrimi Tui nominis sub umbone, Pater in Christo summe Venerabilis! has evulgare pagellas non auderem, nisi accumulatissima Tua in me non meritum voluntas & beneficentia, quam ab aliquot annis expertus sum, animum mihi addidisset confidentissimum, nullo modo fore, quin eas nisi benevolentissime sis accepturus. Jamdudum grati in Te animi specimen publicum exhibere me decebat. licet autem præsens opusculum nimis tenue sit, quam quod in Tuum conspectum debuisset prodire, nedum quod Tuis in me respondeat meritis: vix tamen erit mea noscens, cui non constet, a mea inopia non posse nisi exile quidlibet proficisci. Gratam autem mentem testatur, etiam qui parva ejus exhibet τεκμήρια, cum dat quæ habet, cum non habeat quæ debebat præstantiora. Quam maxime vero Tuo judicio etiam exhibendam mihi esse & submittendam existimavi, Theologe Excellentissime, meditationem de particula Divini codicis, quæ inter difficillimas referri solet. Veneramur jam dudum, quotquot sacris literis operam nostram dicamus, insignia Tua in illarum interpretationem merita, quæ non tantum norunt, qui quotidie ab ore Tuo pendent, ac in via salutis instituuntur & confirmantur, sed quæ & universa purior Ecclesia dudum grata suscepit ex tot egregiis Tuis scriptis Theologicis, & ex laboribus, quos ad immortale Bibliorum Ernestinorum opus illustrandum & exasciandum contulisti, præstantissimis

mis

mis. Accedit quod hanc ipsam nostri Salvatoris de operariis in sua vinea parabolam plures jam ante annos expenderis peculiari dissertatione eruditissima: ex qua non parum me profecisse, lubens hic & gratus publice profiteor. Quare cum omnes sacræ hujus pericopæ recessus penitissime Tibi sint perspecti, facillimo negotio examinabis, in his pagellis num assecutus sim veram Salvatoris mentem, an vero minus. Atque ex Tuo judicio integerrimo & sapientissimo volo stare aut cadere, quicquid meditatio hæc in lucem profert publicam. Suscipe igitur, Patrone Magnifice, qua in me uti soles animi propensione, exiguum hoc meæ in Te observantiæ specimen, nec ejus tenuitatem & defectus, sed venerabundum offerentis animum benevole respicere dignare. Summum autem Numen sinceris veneror votis, ut porro uberrima sua gratia Tuis adsit operis, quas vineæ Domini jam a multis annis præstas, egregiis, viresque animi atque corporis inconcussas sufficiat ad seram usque senectutem, in amplissima totius Ecclesiæ veræ, nec unquam peritura, emolumenta. DEUS Te servet cum universa Tua splendidissima familia, quæ vera est Musarum sedes, quarum præses Apollo, non iste fabulosus Delius Vates, sed ille Pauli Apostoli, imo DEI συνεργὸς, ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, καὶ ζέων τῷ πνεύματι. Vale ex voto, & patrocinari perge

CELEBRATISSIMI TVI NOMINIS

Dabam Jenæ,
pridie Nonas Octobris,
A. D. H
M DCC XXXXI.

Cultori observantissimo
Fridemann Andræ Zulich.

MEDITATIO THEOLOGICA
AD PARABOLAM
DE OPERARIIS IN VINEA,
Matth. XX, 1 - 16.

---

§. I.

Nexus parabolæ cum antea dictis

Invocatis ante omnia, neceſſariis ad rectam & ſalutarem verbi divini meditationem, divinæ gratiæ auxiliis, vt illa ſuo lumine mentis noſtræ oculos aperiat, ad perſpiciendum miranda ſermonis DEI documenta! juvabit inprimis ſcopum parabolæ, quam conſiderandam ſuſcipimus, curatius definire, collati ſiis, quæ apud Evangeliſtam noſtrum Matthæum in præcedente Capite XIX, commemorata fuerant. Nimirum colloquium Saluatoris noſtri, cum principe quodam inter Judæos viro, de hæreditate vitæ æternæ cuſtodienda ſolicito, inſtitutum, conjecerat animos ipſorum etiam Apoſtolorum in timorem non prorſus vanum, ne ipſis æternæ ſalutis haereditas interuerteretur variis in via ad illam ſibi obvenientibus obſtaculis atque defectibus. Cum enim perſpexiſſet oculus omniſcius Chriſti τοῦ καρδιογνώστου, nihil magis hactenus impediviſſe profectus viri illius principis in via ad ſalutem, quam philavtiam latentem in eius pectore, & terrenorum amo-

 rem;

rem; adverſus hunc ipſi iniunxerat eorum, quæ in terrenis poſſidebat, venditionem & inter pauperes erogationem; aduerſus illam vero iuſſerat ſequelam ſui, & ut accedens diſcipulis ſuis deinceps poſt ſe, quem doctorem bonum agnouerat & faſſus fuerat, inſequeretur. Abeunte autem his auditis contriſtato divite illo, dixerat Salvator, difficillimum eſſe ut dives in regnum cœlorum intret, & difficilius, quam ut, juxta proverbium, camelus per foramen acus ingrediatur. Hinc horror ceperat diſcipulos Chriſti, adeo, vt dubitare inciperent, num ſic vllus homo ſalvari poſſit: capto ut videtur, argumento a ſimili: ſi dives ſalvari nequit ob amorem divitiarum, æque aliis impedimento erit, quin attingant iſtam metam, amor honorum, amor deliciarum mundi, amor uxoris & liberorum, amor opificii ſui, artis, ſcientiarum, &c. Sed & Petrus de ſe ſuisque condiſcipulis anxius, licet monitum Chriſti diviti datum aliquatenus aſſecuti eſſent, & reliquiſſent omnia, atque Chriſtum ſectarentur; ſciſcitabatur: quid ergo erit nobis? ubi, ut mihi quidem videtur, mens Petri non fuit de mercede quærere, ſed de eo angitur, an non ſibi pariter ac diviti illi, triſtior aliqua ſententia proſtet; an non & ipſis adhuc quid obſtet, ne aſſequantur hæreditatem vitæ æternæ, forte quia nondum omnia vendiderint & pauperibus dederint, licet ſua quantulacunque reliquerint & Chriſtum ſint ſecuti: cum & ipſi ſentiant ſe ceſpitare multoties, deficere, & labaſcere in via ad ſalutem? num & ipſis difficile ſit ingredi in regnum cœlorum? Erigebat vero hic diſcipulos Saluatoris clementia, & diſtincte reſpondebat, primo quod attinet conſectationem ſui, modo pergant eum in regenerationis ſtatu, adeoque in vera fide, ſectari, fore ut ipſi Apoſtoli ſingularem obtenturi ſint prærogatiuam, ut in glorioſe mox ma-

manifeſtando regno gratiæ, ipſi in cathedris doctrinæ evangelicæ cum ipſo regnaturi ſint, judicaturi verbo veritatis duodecim tribus Iſraëlis ſpiritualis, præſcribentes & adjudicantes ſingulis hominibus, quæ credenda ipſis ſint & facienda: deinde, quod attinet relicta bona terrena, promittit ipſis in hoc ſæculo adhuc eorum loco quotidie capienda centuplo maiora in mediis etiam perſecutionibus: denique quantum attinet illud, quo quam maxime angebatur Petrus, promittit hæreditatem vitæ æternæ integram illis manſuram, & nullo modo eis intervertendam. Addit tamen: multi autem erunt primi poſtremi, & poſtremi primi; ut nimirum occurrat unico adhuc impedimento, quod adeundam hæreditatem euertere poſſet, & quo fieri poſſet, ut qui primi fuerint in relinquendis omnibus ſuis,& in ſequendoChriſto, evadant ultimi, hoc eſt, nulli ſint in hæreditatis conſecutione; ſi nempe meritorum ſuorum fiducia poſcant ea quæ promiſerat; cum hæc omnia agnoſcere debeant gratuita eſſe DEI dona, ipſos vero eis prorſus indignos, & nihil quicquam meritos. Atque hoc ipſum eſſe, quod Salvator illa, quam meditari aggredimur parabola, vberius proſequitur, non modo nexus parabolæ cum his verbis immediatus, ſed et ipſorum horum verborum in fine parabolæ repetitio, qua totius parabolæ apodoſin quaſi præſtant, vix poterit quispiam interpretum in dubium vocare.

§. II.

Nihil aliud igitur Salvator in hac parabola pro ſcopo habet, quam vt oſtendat, qua ratione primi evadant ultimi, qua ratione hæreditate vitæ æternæ excidant, tametſi primi extiterint in relinquendis bonis ſuis, in ſequendo Chriſtum, in laboribus vineæ Domini: nimirum, ſi ſuo- *Scopus Parabolæ.*

rum laborum suæque tolerantiæ præsidentia & fastu ac iactantia exigant a domino vineæ, quæ gratiose promisit se daturum, imo plus etiam quam promisit exigant, contendentes se ob sua merita aliis præferendos esse qui minus laboraverint, invidendo vltimis gratiam domini, qua hi non minus accipiant quam ipsi primi; nec reputando se ex gratia accepisse quæ acceperant, cum revera servi inutiles domino fuerint, quippe qui ex gratia domini habeant, quod præ aliis in vineam fuerint vocati, & gratiam illam tanto maiorem debeant agnoscere, quo plures ad labores accersiti fuerint, cum etiam vires laborandi a gratia domini habeant, cumque omnes illorum operæ non tam domino afferant emolumentum, quam ipsismet operariis; & qui ne quidem fecerint ea quæ facere debuissent. Hic igitur manifeste cum sit scopus loquentis in hac parabola, facile perspicitur, non prorsus necessum esse, ut labores, quibus præsidentes operarii hæreditate excidunt, capiamus de iis quos in universæ ecclesiæ emolumentum omnes ejus ministri ac pastores, vel omnia membra ejusdem, simul per totum diem mundi a creatione ad ejus consummationem, vel per totum diem reipublicæ Judaicæ ab ejus per leges Mosaicas constitutione usque ad Christum & praedicationem evangelii, ac Hierosolymorum excidium, egisse & agere concipiuntur; neque ut præmium, quod suis meritis poscentes, imo aliis invidentes, & sibi uberius deberi contendentes, hæreditatem amittunt, capiatur saltem de excellentioribus dotibus spiritus sancti, & miraculorum donis; neque ut vocatio in vineam, cujus primo mane factæ, ad sufferenda diei totius onera & æstum, augustiora præmia sibi postulantes gratiam domini cum hæreditate amittunt, statuatur esse vocatio ad regnum cœlorum &

ad

ad ipsam hæreditatem, neque ut statuatur esse vocatio ad officium ministerii in ecclesia obeundi aliqua generalis: sed scopus idem parabolæ obtinetur, si labores quicunque in coetu quovis etiam minimo singulis diebus ac horis obeundi fuerint significati; si præmium non aliud, quam quod vitæ sustentationi cujusvis diei sufficit, intelligatur, vel quod etiam fructus & successus officii in animis eorum, qui cujusvis labori & fidei commissi sunt, præstat; & denique, si vocatio capiatur nonnisi specialissima, quæ unicuique in suo officio quotidie ad singulares in vinea operas in suo cœtu divinitus suggeritur. Si enim toti ecclesiæ præstitis laboribus non præfidere nec iis se efferre & jactare debent homines, multo minus ex minoribus singulari cœtui ad vnius diei horas exhibitis laboribus supercilium sumere, & se adversus alios efferre poterunt. Ita quoque, si quotidiani victus emolumenta a DEO poscere non possumus tanquam nobis debita, sed ea etiam gratiæ Divinæ acceptum ferre; multo minus poscere possumus, ut vel effectus fructusque officii ampliores tanquam ex debito solvat, vel etiam miraculosa dona præbeat tanquam ex nostris meritis, multo minus ut maiora nobis quam aliis deberi præsumamus. Atque si vocatio specialissima ad singulorum dierum peculiares opellas agnosci debet tanquam gratiæ Divinæ beneficium, ut inde non DEUS nobis sisdebitor, sed nos DEO teneamur ad gratias: multo majus beneficium celebrare debemus vocationem generalem ad regnum cœlorum & ad vitæ æternæ hæreditatem, vel etiam ad officium in ecclesia perpetuum obeundum. Quare si parabola docet gratia domini & hæreditate excidere eos, qui sibi pro laboribus unici diei, in cœtu peculiari, ex vocatione divina ad totius diei sudores facta exantlatis, terrena emo-

lumenta maiora quam aliis deberi poscunt: sequitur, ut prona collectione inferamus, quod eadem multo magis doceat eos cum gratia domini amittere hæreditatem aeternam, qui suis meritis & laboribus vel ipsam aeternam vitam, vel gradus gloriae ampliores, vel dona miraculosa spiritus sancti, vel fructus officii amplissimos deberi contendunt, & tanto gravioris indignationis domini se reos sistere, quo majorem domini in se benignitatem debuissent agnoscere, quod eos ad ampliores labores & toti ecclesiæ præstandos, & ad plures operas majoresque sudores exantlandos, imo & cito in regni DEI communionem vocaverit, & vires ad illa omnia facultatesque praebuerit.

§. III.

Parabola objectum.

Ad ipsam igitur parabolam accedentes, meditationi nostræ propositam invenimus primo dilucidam ejus Protasin, inde ab initio capitis vigesimi Matthæi usque ad comma decimum quintum; deinde brevem ejus Apodosin, commate decimo sexto, paucis saltem verbis indicantem quid parabola docuerit. IN PROTASI primo objectum parabolæ sistitur, dein ejus partes exhibentur. OBJECTUM indicatur verbis: simile enim est regnum cœlorum; Quæ solemnis est formula Saluatoris, perparabolas, uti Ps. LXXVIII, 2. promiserat, edisserentis abscondita ab origine mundi. Nimirum regnum DEI inter homines, per peccatum corruptos, est inter abscondita ab origine mundi, ab omni ratione & sapientia naturali absconditissimum. Regnum videlicet cœlorum illud ipsum, de quo omnes conciones ipsius JESU æque, ac Johannis Baptistæ, agebant: quippe quarum summa hæc erat, ut Matthæi IV, 17. & III, 2. legimus: Resipiscite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Non igitur simpliciter regnum

gnum gratiæ (quod etiam in V. T. obtinuerat) sed quod in V. T. toties promissum & tam diu expectatum fuerat regnum. Huc enim spectant vaticinia Ps. II, XXIV, ~~XXV~~, XXII, XXXXV, XXXXVII, LXXXXVI, LXXXXVIII, Jes. II, XXV, XXVI, Jerem. XXIII, 5. 6. XXXIII, 15. Dan. II. 44. VII, 13. 14. 27. &c. Ubi nempe ipse Rex ille Dominus e cœlo 1. Cor. XV, 47. adpropinquavit, sessurus mox ad dextram potentiæ, venturus in nubibus cœli, Matth, XXVI, 64. quando per mysterium ex confesso magnum DEUS manifestatus sit in carne, 1. Tim. III, 16. cœli sint plantati interra Jes. LI, 16. dum tabernaculum in nobis fecit λόγος æternus, plenus gratia & veritate conspiciendam præbens gloriam suam, gloriam filii unigeniti e patre cœlesti, Joh. 1, 14. ille, qui dum in terra versatur in cœlis est, Joh. III, 13. turmam suam in terra plantans, Amos. IX, 6. ut cœli jam videantur aperti, & angeli ascendentes & descendentes super filio illo hominis, Jo. 1, 52. ut cœli jam enarrent justitiam DEI Ps. L, 6. unde salus tunc propinquior erat quam cum in spe crederetur, Rom. XIII, 11. cum lux et vita in λόγῳ illo existens effulserit in tenebris, Jo. I, 4. 5. ut sedentes in tenebris & umbra mortis inde educeret. Luc. 1, 79. coll. Ps. 68, ~~LXVII~~, 21. Mich. II, 13. Ita vero cœli terris non tantum conjuncti, sed & in terris regnant. Atque hoc tam profundis mysteriis absconditum regnum cœlorum ipse Rex ejus parabolis graphice nobis delineavit in suis sermonibus. Ubi vero & illud congrue observant viri docti, non in omni parabola integri regni cœlorum indolem enarrare Salvatorem, sed per synecdochen totum quidem regnum cœlorum dicere assimilari huic vel illi rei, ut tamen in singulis parabolis partem saltem describat indolis atque conditionis ejusdem. Ita e. g. Matth. XIII, 3. sqq. parabola a semente depromta varietatem effectus verbi divini in regno

regno cœlorum delineavit. Verſu 24. ſqq. parabolâ zizaniorum admiſtos in regno cœlorum veris membris hypocritas indicavit. Verſ. 31. 32. parabolâ de ſinapi rationem incrementi regni cœlorum depinxit. Verſ. 33. parabola a fermento petitâ efficaciam verbi Divini in illo regno deſcripſit. Verſ. 44. parabolâ theſauri in agro abſconditi docuit, uti regnum cœlorum cuſtodire debeamus. Verſ. 45. 46. parabolâ margaritæ, ut illud adquiratur, declaravit. Verſ. 47. ſqq. parabolâ ſagenæ malos regno cœlorum admixtos exhibuit. Atque ſic etiam hoc loco parabolâ operariorum in vinea, regnum cœlorum ex ea parte propoſuit, qua indoles ejus in gratuita remuneratione miniſtrorum ejus declaratur. Jta enim etiam particula γὰρ, dum dicitur: ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, arctum parabolæ ad præcedentia reſpectum & nexum ſatis manifeſtat.

§. IV.

PARS PRIMA *Conductio operariorum* **1. Matutina, ubi** *Conducens*

Partes parabolæ tres invenimus. PRIMA operariorum variam conductionem eamque quintuplicem ſiſtit, temporis intervallis diſtinctam. **Prima conductio** eſt tempore matutino, Ubi conſiderandus venit 1.) CONDUCENS qui dicitur ἄνθρωπος οἰκοδεσπότης homo domus vel familiæ dominus ſive **pater familias.** Quo Chriſtum ipſummet indigitari non incongrue ſtatuit Theophylactus: cum Chriſtus utique ſit, qui domum ac familiam DEI adparavit & conſtruxit, & ſuper illam tanquam filius dominatur, Ebr. III, 3. 6. idemque etiam alias ſe patri familias comparare ſuevit. vid. Matth. X, 25. XIII, 27. Luc. XIII, 25. Qui & quotidie cum vinea ſua & nobiſcum eſt, & cum operariis vineæ ſuæ usque ad mundi conſummationem, Matth. XXVIII, 20. & tota die manus expandit etiam ad populum

pulum immorigerum. Jes. LXV, 2. Nec obstat quod ipse vitis esse videatur in hac vinea, juxta Jo. XV, 1. sq. Ps. LXXX, 9. sqq. nam alio atque alio respectu unus ille nobis omnia existit.

§. V.

Conductionis tempus.

Sistitur 2. Conductionis TEMPUS, ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι qui egressus est statim cùm mane ad conducendum, seu prima luce. Quo ipso diligentia Patris familias indicatur, idque ex moribus prisci ævi, ut h. l. annotavit Pricæus, itemque Cornelius Adami in Observationibus Theologico Philologicis, p. 146. ubi singulis diebus patres familias operarios sibi conducere sueverant, in foris ac plateis paratos ad id opus stantes, ad quod idonei erant. EXIRE Christi, summi patris familias, notante concinne Augustino, sermone LIV. de Verbis Domini, est innotescere. Qui etiam addit: Christus quando non intelligitur & agnoscitur, in secreto est: quando autem agnoscitur, exiit conducere. Sed solicita benignissimi hujus domini cura nihil intermittit, quo magis singulis hominibus innotescat quotidie, eoque omnes in servitia sua conducat. Singulis mane, πρωῒ πρωῒ (ut habent LXX.) jus suum in lucem profert, & non absconditur. Zeph. III, 5. imo tam curate novit omnes vineæ suæ in omnibus ejus, etiam minimis, partibus necessitates, & singulorum quasi palmitum desideria perspicit, ut vel primo mane ad illa curanda fidos accersat ministros, qui vel integros dies illis labores suos sudoresque impendant. Atque, si usquam in vita humana, hic certe verum est, quod Philo dixit, de Sacrificio Caini & Abelis, p. 104. *laborem inter præcipua bona esse numerandum;*

dum; & quod paganus Xenophon, Cyropæd. VII. p. 199. *labores viris bonis esse obsonium.* Atque licet hic huic patrifamilias præstandus labor summa felicitas sit laborantium, & omnis laboris fructus, isque uberrimus, ipsis, non domino, præstet omne suum bonum; placet tamen benignitati domini singulis diebus laborantes tanquam de novo conducere, allicere, excitare ad singulas operas, idque sæpe statim cum prima luce uberiores suggerendo, & quidem mercede promissa in singulorum dierum operas, hoc enim vult græcum μισθώσασθαι, monstrando nempe cujusque laboris subeundi peculiare emolumentum. Ita nempe parentes liberis suis quotidie labores exhibent, promisso etiam præmio: licet omnis, quem liberi in discendo ac studendo laborem insumunt, ipsismet emolumentum adferat, non parentibus. Atque certe conducere est vocare, ut plures viri docti id interpretati sunt. Cum tamen multiplex sit vocatio divina, eaque omnis ex gratia vocantis DEI dependens, alia nempe ad ecclesiam veram, Jes. II, 3. XLIX, 22. alia ad salutem in ecclesia vera generalis, Prov. IX, 3.-6. Matth. XI, 28. 1. Cor. I, 9. 1. Thes. II, 12. alia specialis ad pœnitentiam & virtutes christianas Marc. II, 17. Matth. IV, 17. Prov. VIII, 1.-9. 1. Thes. IIII, 7. 2. Pet. I. 3. vel specialis ad varia munia, in ministerio ecclesiastico Ebr. V, 4. Gal. I, 15. 16. Jes. VI, 8. Jer. I, 5. sqq. in regimine politico v. g. Josuæ, Devt. XXXI, 14. sqq. Jos. 1, it. Saulis, Davidis, Josiæ, &c. etiam in œconomicis, 1. Cor. VII, 20. 21. & in artificiis, Exod. XXXV, 30. 34. XXXVI, 1. 2. alia specialissima vocatio tum ad certas sanctitatis, Christianæ operas, Jes. XXX, 21. 2. Thes. 1, 11. Jes. LXV, 2. tum ad certas in officio cujusque quotidie obeundas functiones, sicut prophetæ quotidie instruebantur, v. g. Jer. XX. 9. XXVI, 15. Apostoli,

ſtoli, Actor. X, 5. ſqq. XIII, 2.3. XVI, 9. Rom. XV, 18. Coloſſ. IIII, 3. 4. & Philippus diaconus, Act. VIII, 26. Ita non David ſed Salomo ad ædificandum templum vocabatur, Bezaleel, Ahaliab, & ſocii ad tabernaculum adparandum. &c. & obſervante Gerhardo in notis ad Matth. h. l. *vocat DEVS per ſanctorum prædicationem, per beneficiorum largitionem, per internam inſpirationem, per flagellorum correctionem*; addo: per miſſionem indigentium laboribus operariorum. Cum, inquam, tam varia ſit divina vocatio, in noſtra parabola videtur vocatio ſpecialiſſima potiſſimum indicari, ut ex dicendis magis pateſcet. Suadetque id etiam vocabulum μισθώσασθαι, cum merces inprimis ſingulis laboribus ſtatuta videatur, 1. Cor. III, 8. Talis autem ſpecialiſſima vocatio eſt, quæ unaquaque die ſingulis in ſuo officio ſuggeritur ad peculiare opus illa die in vinea domini peragendum: cum vel impius convertendus ſuggeritur, vel conſolandus afflictus, vel viſitandus ægrotus, vel juvandus egenus, vel veritas aliqua & doctrina cœleſtis ſtabilienda aut vindicanda, vel error confutandus, & id genus alia.

§. VI.

Memorantur 3. illi QUI CONDUCUNTUR, quos vocat ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ, operarios in vineam ſuam mittendos; Operarios, inquam, non ignavos & oſcitantes ſpectatores, non delicias ſaltem capturos, non convivas, combibones & commeſſatores, non ſomnolentos & deſides, non ludicra tractaturos, nedum vineam laceraturos, aut alios in laborando impedituros; ſed laborantes vult, non ſolis æſtum, non moleſtias operarum formidantes, ſed quid agendum adſit probe at- *Conducti.*

tendentes, quo gravior duriorque labor occurrit, eo follicitiore & pertinaciore diligentia & majore cum assiduitate, & collectis omnibus viribus suis atque facultatibus rem aggredientes & conficientes. **Vinea** hujus patris familias est dubio procul ecclesia in his terris militans, ipsum illud regnum cœlorum, quod sæpius in divinis literis vinea Domini dicitur. Ps. LXXX, 9. sq. Cant. I, 6. Jes. V, 1-7. XXVII, 2. sqq. Matth. XII, 28. 33. sqq. Ad istam colendam nemo recte accedet, qui domi suæ residet, h. e. qui non abnegat seipsum & suas cupiditates, & animo omnia mundana relinquit (paratus etiam, ubi necesse fuerit, reipsa relinquere omnes terrenas facultates) & qui Christum non sectatur. Accedit autem non tantum is, qui vocatur in communionem ecclesiæ, & ad Christum convertitur; sed accedit etiam, & tanquam ἐργάτης ad eam accedit ac mittitur, unusquisque toties, quoties peculiare opus in ea conficiendum ei demandatur. Unde operarii in hac vinea suo modo sunt omnes Christiani. Quam in sententiam B. Jo. Gerhardus, in Homiliis, p. m. 467. dicit: "duplex potissimum est labor, qui in hac " vinea nobis incumbit 1. Cura animæ nostræ, 2. Labor " vocationis. Quando DEUS per verbum te in vineam suam " vocat, quasi colonum animæ te constituit. &c. In labore " vocationis quibusdam totius vineæ cura est commissa, " ut magistratui, qui debet esse custos vineæ, ex ea depelle- " re apros, qui illam conculcant & devastant, hoc est, persecu- " tiones ab ecclesia debet avertere; ministris verbi, qui " debent plantare & rigare, 1. Cor. III, 6. capere vulpeculas, " quæ demoliuntur vineas Cant. II, 15. non tamen armis " sed argumentis; patribus familias, qui teneros palmites " debent curare, h. e. liberos in disciplina & institutione " domini educare." Hæc Gerhardus. Quam maxime tamen

tamen ex ſcopo Chriſti in hac parabola videntur operarii vocari miniſtri verbi. Sicut enim unica vitis in hac vinea Chriſtus eſt, Pſ. LXXX, 9. 15. 16. 18. & palmites, qui in eum credunt, Jo. XV, 1. ſqq. ita miniſtris verbi inprimis commiſſa eſt vitis hujus & palmitum cura & agricultura. Horum videlicet eſt labores ſuos reliquis chriſtianis impendere, κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, præeundo & commonendo 1. Theſſ. V, 12. dum nempe laborant in verbo & doctrina. 1. Tim. V, 17. unumquemque dies & noctes, etiam cum lacrimis commonentes, exemplo Pauli Act. XX, 31. conf. Ezech. XXXIII, 7. ſqq. XXXIV, 4. ſqq. non tantum plantare, & per fidem inſerere homines vineae huic & viti Chriſto, ac rigare verbo & ſacramentis, 1. Cor. III, 6. 7. ſed & curare ſtabilimentum fidei eorum in Chriſto, ut in illo perſeuerent radices agendo, in ipſo ſuperinſtructi & conſtabiliti, Colos. II, 5 -- 7. curare ut creſcant per omnia in Chriſtum Eph. IV, 15. 16. in omni gratia et cognitione Chriſti. 2. Pet. III, 18. purgare & putare palmites frugiferos ut plus fructuum ferant, infrugifera autem exſcindere ab illis, ex voluntate ſummi agricolae Io. XV, 2. Jer. XV, 19. attendere vineæ & vitibus, & vigilare, ne praua doctrina maliſue exemplis corrumpantur. Act. XX, 28 - 31. indeque adverſarios & contradicentes inſtituere cum manſuetudine, & redarguere ad ſilentium eos redigendo. 1. Tim. II, 25. Tit. I, 9. 11. ſectarios autem monitos abſtinere, Tit. III, 10. Hoc opus, hic labor eſt. Unde operarios conducere dicitur DEUS, non feriatores. Neque ulli in hac vinea ſive vinitori ſive palmiti integrum eſt deſidiæ ſe dare, & omnem ſui aliorumque curam abjicere, vel ad alios ablegare integram. Ita non vult DEUS in vinea ſua eſſe, qui aliis remittent totam operam diſpiciendi, quid verum ſit, quid verbo DEI congruum, quid vero non: quales ſunt illi, qui quoni-

am quæcunque ſecta ſibi veram religionem tribuit, refugiunt operam examinandi veritatem ſuæ vel diſſentaneæ religionis, & cauſantes etiam ſuam in dijudicando imbecillitatem, nihil de eo laborandum ſtatuunt, cuicunque religioni ſe vel alios deditos deprehenderint, vel ad illam ſtatuunt eccleſiam accedendum eſſe, quæ præ aliis antiquiſſimam ſe atque florentiſſimam, externa inprimis epiſcoporum & doctorum ſucceſſione, venditet: qui igitur negligunt laborem meditandi verbum divinum, ejusque genuinum ſenſum ſcrutandi, firmoque ſuam fidem ſuperſtruere fundamento; illi non ſunt ἐργάται, in hac vinea, ſed male feriati homines. Qui enim dubitare de his poteſt, ſed ex ignavia ſe mauult in aliorum fidem relinquere, ille poteſt etiam meditari & inquirere veritatem, & ἀναπολογήτω inertia rerum ſuarum non ſatagit. Confer 2. Cor. XIII, 5. 1. Jo. IV, 1. Ita etiam non operarii ſed incertes vineæ conculcatores ſunt, quibus ex fide carbonaria pontificiorum ſufficit credere, quæ eccleſia credit, licet ignorent, quid eccceſia credat. In noſtra eccleſia nemini integrum eſt feriari. Qui ergo laborare detrectat, abeat licet ad eccleſiam, quæ hujusmodi male feriatos homines alit. norit autem non eſſe eam Chriſti vineam, in quam hic pater familias non conducit niſi operarios.

§. VII.

Mercedis ſtipulatio. Conſideranda venit 4. MERCEDIS STIPULATIO, de qua pergit Salvator v. 2. ſubjicere: συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργατῶν ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν. cum vero conveniſſet cum operariis illis de denario in diem. Singulis videlicet in ſingulos dies denarium in mercedem laborum dare promittit, ipſis conſentientibus. Hoc enim verbum

συμ-

συμφωνέω indicat, quod, petita ex muſicis metaphora, eſt ſimul ſonum edo, in edenda voce cum alio conſentio. unde & de pactis apud Xenophontem & Polybium, & de contractibus ac ſtipulationibus apud Jureconſultos adhibetur. Indicat igitur conſenſiſſe conductos cum conducente de pretio laborum diurno. Dicitur autem illud denarius. Quod vocabulum quandoque generalem ſignificatum habere videtur, & pro quocunque nummi genere adhiberi: proprie tamen nummum argenteum drachmæ pondere notat, qualis apud Romanos diurnum ſtipendium militis fuit. Atque ſic etiam h. l. denarius in mercedem unius diei conſtituitur, dum expreſſe additur τὴν ἡμέραν, ſubaudita ex linguæ genio particula κατὰ, quavis die. Quæ ipſa vocabula τὴν ἡμέραν videntur clavem totius parabolæ præbere. Indicant nempe loqui Salvatorem de plurium dierum operis præſtandis, in quorum ſingulorum ſtipendium denarium promittit. Quanquam enim paterfamilias ſiſtatur tanquam ſingulis diebus ad cuique diei peculiares labores vocans, de mercede tamen ita paciſci memoratur, tanquam qui per plures dies vocationem ſit repetiturus, & ſingulis diebus determinatum velit eſſe æquale præmium laborum. Unde non eſt ut de die una totius vitæ hominis uniuscujusque, aut de die totius mundi, aut de die totius temporis V. T. ſermonem eſſe Salvatori exiſtimemus; quin potius, ut in parabola, ita & in apodoſi ejus & re ſignificata, diem ſolis curſu ordinario definitum ſe intelligere innuit. Unde etiam ſequitur conductionem illam non vocatione generali ad eccleſiam, vel ad officium quodcunque in eccleſia perpetuum hic capi (quæ tamen vocationis genera hic præſupponi facile conceſſero) ſed de ſpecialiſſima voca-

ca-

catione operariorum, ad certi generis opus jam accinctorum, & ad hoc tantum nec ad aliud paratorum, & operas suæ diei sibi suggerendas expectantium, hic agi. Quandoquidem DEUS etiam ministros ecclesiæ legitime constitutos (imo si mavis quoscunque Christianos, quatenus vitem illam veram Christum, ejusque palmites, se ipsos & alios, colere debent) quotidie vocat ad labores singulares, & alios quidem ad multos a primo mane ad vesperam exantlandos, alios vero ad pauciores, sicut necessitas cuiusque cœtus fidelium, in quo quis agit, id exigit. Unde etiam sequitur, denarium non de vita æterna capiendum esse, de qua veteres ecclesiæ doctores & complures etiam recentiores theologi eum interpretati sunt, quo ipso vero difficillimam reddiderunt reliquarum parabolæ partium accommodationem: sed de temporalibus hujus vitæ præmiis commodissime intelligi; quod etiam ex veteribus Basilius M. agnovit. Nimirum omnia illa, quæ ad hujus vitæ subsidia quotidie accipimus ex DEI benignitate, sunt ille denarius. Quo pertinent etiam fructus laborum in hac vinea quotidie præstitorum, in acquirendis & conservandis animabus in regno cœlorum, dum impii convertuntur, tristes eriguntur solatiis, egeni juvantur, &c. unde acquiruntur illa relictis centies praestantiora, fratres, sorores, pater, mater, liberi, domus, agri, quae egregius sunt denarius, quem in singulorum quasi dierum stipendium Christus promiserat paulo ante, Matth. XIX, 29. Huc referri potest, quod habet Irenaeus: *omnes acceperunt unum denarium habentem imaginem & inscriptionem regis, cognitionem filii DEI, quæ est incorruptibilitas: ac propterea a novissimis incipit dare mercedem, quia in novissimis temporibus manifestatus dominus omnibus se revelavit.* Certe etiam cognitio divinorum my-

myſteriorum uberior, in hujus vineæ laboribus obtingens impiis pariter atque verè piis operariis, gratioſum DEI donum eſt in hoc tempore, ſingulis diebus quod exhibet ſacra adminiſtrantibus: quod omnibus ex mente datoris in ſalutem cedere debebat, licet impiis cedat ex ipſorum culpa in graviorem pœnam, 2. Cor. II, 15. 16. Luc. XII, 47. Licet igitur in eccleſia, hoc eſt, in vinea domini, laborare ſit ipſum magnum DEI beneficium, promiſit tamen benigniſſimus pater familias operantibus dare præterea quotidianam mercedem. Certe quo citius ad hanc vineam veniſti, & quo plus ac diutius in ea laboraſti, tanto plus debes ei, qui te ad iſtos labores vocat: tantum abeſt, ut ille tibi quid debeat. Cum enim in terrenis laboranti, h. e. revera male feriato, fame pereundum eſſet, non tantum animæ, ſed etiam corporis, (nam ille qui extra eccleſiam eſt, licet locupletiſſimus ſit, & quotidie luxu atque crapula expleatur, nunquam tamen vere etiam corpore ſatiatur neque expletur: ſemper magis eſurit, licet impleto ad voraginem usque ſtomacho, & dolet ex menſa auferri, quæ libenter adhuc ingurgitaret, ſi modo capere poſſet ventriculus; & vino ad vomitum usque plenus, plus ſitit: ſcilicet, quia, quæ capit, omnia ejus reſpectu maledictioni adhuc ſubjacent, neque poſſunt ejus indigentiæ ſufficere ſine divina benedictione) in vinea Domini autem laborans quotidie accipit denarium ſuum, quantum ei plene ſufficit ad vitæ hujus ſuſtentationem & recreationem, tametſi vel modicum ſaltem panis & aquæ fuerit: cum ſimul animam etiam potuerit ſatiare ipſis ſanctis in vinea laboribus, in cultu veræ vitis Chriſti et palmitum ejus. Atque hoc Deus quotidie dat eis etiam, qui paucos ſaltem in vinea labores præſtiterunt; imo et illis, qui tota die in mundanis male

C feri-

feriati, et ferias esuriales (ut Plautina phrasi utar) sederunt, attamen vel vespere saltem vera ducti poenitentia relictis omnibus, ad vineam Dei accedunt. Atque hunc ipsum denarium Deus vocali quasi concentu omnibus stipulatus est inverbo suo. Ita enim illud συμφωνήσας innuere videtur concentum promissionum divinarum, ad cujusque desiderium in sacris literis datarum, de quotidiana sustentatione suorum & remuneratione: quasi dicatur pater familias concinens in verbo suo desideriis & necessitatibus operariorum, & pacto quasi inito concordans promittendo in denarium cujusque diei, quæ cuique sustentando & recreando sufficiunt. Videantur hujusmodi promissiones Matth. VI, 25. 32. 33. Ps. XXXIII, 19. XXXIV, 11. XXXVII, 18. 19. LXXXIV, 12. Prou. X, 3. 22. Ebr. XIII, 5. 1. Tim. VI, 17. V. 18. 1. Cor. IX, 9. sqq. 2. Cor. VI, 10. IX. 10. & qua fructus profectusque laborum Ies. LV, 11. XLIX, 4.

§. VIII.

Missio ad labores

Sequitur denique in hac prima conductione operariorum 5. MISSIO conductorum AD LABORES. Ita enim, ut Salvator in parabola pergit, pater familias ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ misit illos in vineam suam. Nimirum eos, jam antea nonnisi ad agricolarum & vinitorum operas accinctos & adparatos, ad hujus diei labores in vineam suam mittit. Quotiescunque alicui in cætu sacro suo, & parte illa ecclesiæ veræ, in qua versatur, occurrit quod agat ad ecclesiæ, & cujuscunque in ea membri, emolumentum, toties a patre familias cœlesti se in vineam ad labores mitti intelligat. Mireris autem, quomodo Deus omniscius ad labores suos adhibeat, quos præ-

præſcit parum ſinceros eſſe, & propria magis commoda quærere quam profectus vineæ. Sed hoc debemus gratiæ diuinæ in vineam ſuam, ne deſtituatur laborantibus, cum non poſſint ſemper haberi viri vere pii. Sic inter apoſtolos ſuos accerſebat Judam Iſchariotem, licet prævideret eum fore proditorem, quia magis idoneum ad tantum negotium non inveniebat in diſcipulis reliquis, & quia prævidebat, multa egregie ab ipſo geſtum iri, in plurimorum ſalutem. nec dubitare poſſumus multis excellentibus dotibus præ aliis exornatum fuiſſe illum proditorem. Sed neque cogit parabola, ut omnes primo mane conductos dein murmuraſſe ſtatuamus, multo minus ut fraudulenter & doloſe laboraſſe putemus, cujus criminis ne unus quidem ex iis accuſatur. Sed nec illud neceſſe eſt ut opinemur, omnes ab initio ſtatim ſuorum ſaltem commodorum ergo labores hos adiiſſe. Multi dubio procul ſincera fide & pia mente ad ſolius Dei gloriam & eccleſiæ emolumentum labores aggrediuntur: mox vero perſpicientes ſucceſſus laborum ſuorum egregios, incipiunt delectari dotibus ſuis, eosque admirari, & ſibi tribuunt ſucceſſus illos, non cogitantes ſe tantum plantare & rigare, a Deo autem accedere laborum profectus. 1. Cor. III. 6. 7. Euenit hoc tanto facilius, quando non quisque ſuis ſolummodo laboribus attendit, ut eos fideliter ex omnibus viribus absque defectu peragat; ſed eos cum laboribus aliorum, quos pauciores, minusque proficientes exiſtimat, contendit & comparat. Hinc facilis prodit vox phariſaica: O DEus, gratias tibi ago, quod non ſim ſicut reliqui hominum. Luc. XVIII, 11. Mox ſuis laboribus meritum arrogant, immemores moniti 1. Cor. IV, 7: Quid habes, quod non acceperis? imo immemores moniti patris familias Luc. XVII, 10: Quando

 omnia

omnia vobis constituta feceritis, dicite, nimirum serui inutiles sumus, quia quæ debuimus facere fecimus. Ita vero euenit his operariis, ut, cum spiritu inceperint, carne finem operis suis imponant, quod Galatis ad operum merita deflectentibus exprobrat Apostolus, Gal. III, 3. Interim tamen non desinit benignitas patris familias tales etiam ad labores suam in vineam quotidie mittere.

§. IX.

II. Conductio circa horam tertiam.

Sed linquamus illos in laboribus, quos vineæ huic proficuos præstant: & accedamus ad **conductionem secundam**, quæ fit hora diei tertia. Ubi 1. CONDUCENS idem est solicitus pater familias, vineæ suæ indefessam gerens curam. Ita pergitur v. 3. καὶ ἐξελθὼν & **egressus**. Toties ipse egressus ad vocandum ad operas ministrum est censendus, quoties occasionem ministrat in cœtu ecclesiæ boni quidpiam efficiendi. 2. TEMPUS conductionis notatur, περὶ τὴν τρίτην ὥραν **circa tertiam horam**, die nempe jam proficiente. Horas diversas conductionis diversissimis certe modis interpretes acceperunt. Multi eas de ætatibus mundi sunt interpretati. Sed obstat huic sententiæ, quod ita denarius non; dici possit omnibus operariis, tot sæcula distantibus, simul dari, nisi in fine mundi: ubi vero temporalia bona non amplius distribuuntur, æterna autem bona non tribuuntur nisi illis, qui murmurare amplius non possunt. Minor difficultas eos urgere videtur, qui horas diversa V. T. tempora, vesperam autem statuunt tempus Messiæ in terris visibiliter versati. Licet vero hic murmurantes deprehendamus sub vesperam Judaeos, adversus gentium exæquationem lividos: revera tamen hi ipsi murmurantes etiam sub ve-

spe-

ſperam demum vocati fuerant; primis vero horis conducti prophetæ (in quorum labores ſuos diſcipulos ſucceſſiſſe prædicat Salvator Jo. IV, 38.) nunquam murmurarunt. Alii horas illas de diverſis ætatibus cujusque hominis capiunt. Sed cum ſic veſpera eſſet non niſi vitæ finis uniuscujusque, etiam hic temporalium bonorum donatio non amplius locum habere poterit; atque ſi murmurantes cœleſtia acciperent paria cum reliquis, non certe murmurantes amplius poſſent exiſtere. Præſtat igitur hic parabolae verbis preſſius inhaerere, & de horis cujusque diei naturalis, etiam rem parabola ſignificatam interpretari. Ubi ſingulis diebus alius in ſuo officio cum prima luce negotia accipit, alius vero demum tertia hora, alius ſexta vel nona, alius ſub veſperam. Nec enim in officio etiam eccleſiaſtico omnium dierum par eſt labor in ipſius officii negotiis: neque tamen facile pater familias alicui ullum diem ſine linea dimittit, ad quam non ipſum vocet atque conducat. Nihilo ſecius tantum cuique ſingulis diebus dat, tanquam denarium, quantum ejus ſuſtentationi opus eſt: Neque minus ſaturatur pauper de victu tenui, quam fortunis affluens de ſua abundantia; neque hic de ſuperfluis plus poteſt abſumere, quam ille de eo quod ſufficit. Sed 3. In hac ſecunda conductione in primis conſiderandi veniunt QUI CONDUCUNTUR, quos deſcribit; εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς. vidit alios ſtantes in foro otioſos. Ita deſcribi homines in ſtatu peccati conſtitutos, animam quaſi in foro exponentes venalem, ubi diabolus mercaturam facit, Theologi ut plurimum ſtatuunt. Videatur B. Gerhardus h. l. itemque Maldonatus. Cum tamen dicantur expectaſſe labores conducentis, poſſunt etiam intelligi viri in officio diligentes, & ad munia officii obeunda parati, qua-

quacunque hora obveniant. Nec in popinis, orcheſtris, fornicibus memorantur inventi, vacantes aleis, ludis, comeſſationibus, libidinibus; ſed inforo ſuo laborem expectantes. Ita enim ſupra jam notavimus parabolam inde petitam eſſe, quod, qui operas ſuas locatas eſſe volebant, in foro tempus ſuum tererent, ubi quærendi & inveniendi erant ad labores congruos. Licet autem viri in officio ſuo diligentes nunquam vere otientur, ſed ſemper habeant, quod agant, vacando literis divinis & humanis: otium tamen ipſis quaſi eſt, quotiescunque ab operibus officii feriantur, non exiſtente inde ipſis negotio, & quotiescunque ex ſuo arbitrio ſibi ſumunt, quod interim agant, donec ex officio quod agant recurrat. Ita Cicero aliique veterum otium vocant, quando a reipublicæ functionibus vacantes ſtudiis ſuis ſe dare poterant, licet nunquam minus otioſi exiſterent, quam cum otioſi, ut Scipionem de ſe ipſo dixiſſe Cicero Lib. III. de Officiis memorat. Tales, nec alius generis, otioſos etiam parabola noſtra hoc loco indicare videtur. Quæ etiam 4. memorat MISSIONEM eorundem AD LABORES, v. 4. κἀκείνοις εἶπεν· ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα. Etiam illis dixit, abite etiam vos in vineam illam. Dum pater familias his dixiſſe fertur, abite etiam vos, indicatur eis, inventuros ipſos in vinea jam ante ipſos illic in ea colenda occupatos, & cum ipſis laboraturos: abite, dicit, igitur & vos, atque cum illis laborate. Non igitur priores aliquot jam antea ſæculis labore & vita defuncti fuerant. Indicat vero hoc iis pater familias, ut excitet eos ad tanto feſtinantius abeundum, & tanto diligentius obeundos labores: forte etiam ut ſoletur eos, quod non citius vocati fuerint, quia nempe jam adſint laboribus vineæ

neæ

neæ qui operam ſuam impendunt. Ita enim fidis verbi miniſtris, imo & quibusvis Chriſtianis ſinceris, nihil gratius eſt, quam in officii ſui functionibus occupari, ut ne habeant neceſſum ad arbitrarias operas manum & animum adplicare; & frequenter in eodem cœtu pluribus etiam circa eadem objecta & circa easdem perſonas eodem die occupari datur. Quam maxime autem horum & ſequentium operariorum in eodem die ſerius facta conductio ideo memoratur, ut præmium laborum omnibus æquale ex ſola DEI gratia dari intelligatur. Ita enim 5. non omittitur etiam penes hos PROMISSIO MERCEDIS, dicente patre familias: καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον δώσω ὑμῖν **& quod juſtum fuerit, dabo vobis.** Quæ quidem verba forte neceſſum haud eſſet, ut in apodoſi anxie adplicemus, cum non ad ſcopum & eſſentiam rei, ſed ad ornamentum parabolæ ſpectare videantur. Indicatur tamen, ratione apodoſeos parabolæ, ex gratia eſſe, ut dixi, quicquid dat ὁ οἰκοδεσπότης. Quia non poſſunt diei integræ mercedem poſcere, qui ſuis otiis delectati ſunt, denarium tamen integrum his daturus etiam promittit ſe daturum quod juſtum eſt, quia plus etiam dare volebat. Cur vero dicit ſe daturum quod juſtum eſt? Juſtitia enim eſt cuique tribuere quod ei debetur. DEUS autem nihil cuipiam debet. Juſtum igitur hoc omne ſaltem eo eſt reſpectu, quia DEUS juſtiſſimus ex gratia id promittit, & promiſſum exhibet. Concinne Auguſtinus in Pſ. CIX: *fidelis DEUS, qui ſe noſtrum facit debitorem, non aliquid a nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo.* Subjungitur autem in Parabola 6. obſequens horum operariorum ABITIO AD LABORES, v. 5. οἱ δὲ ἀπῆλθον, **illi vero abierunt,** (ut bene annotat Eraſmus Sarcerius, in Scholiis ad Matth.

Matth. h. l.) *contenti promissione. hoc abire fidei est, non dubitantis de promissis patris familias.* Nec incongrue Franciscus Titelmannus, Pontificius, ordinis Minorum, in Paraphrastica Elucidatione in Matthæum h. l. *& illi non exigentes pactum, bene fidentes verbo patris familias, abierunt ad labores.* Confidentes nempe ex vocatione de viribus ad labores suggerendis, & de laborum successu ac benedictione, alacres ad laborandum abeunt.

§. X.

III. & IV. Conductio, Meridiana & Vespertina.

Conductio tertia & quarta facta circa meridiem, & die inclinante breviter & paucis memoratur v. 5: πάλιν ἐξελθὼν περὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην ὥραν, ἐποίησεν ὡσαύτως **Iterum egressus circa sextam & nonam horam fecit similiter.** Idem dominus, omnia vineæ suæ necessaria & proficua longissime prospiciens, & omnes operarios eorumque vires, indolem, & habitus penitissime perspiciens, ex liberrimo suo arbitrio haud paucos ad paucos dierum quorundam labores vocat: sive quod eos non idoneos videat, ac ineptos laboribus pluribus; sive quod alios iis digniores censeat; sive etiam quod ipsi non displiceant otia horum, & quæ in illis exequi satagunt, tam tarde ad officii functiones in vinea peragendas illo die missi. Neque tamen horum etiam ullum absque promissione præmii in vineam ad labores mittit, quippe omnes suos operarios volens semper certos esse, tum de gratiosa illorum ad labores suos vocatione, tum de attento Domini ad singulos ipsorum labores respectu, quo non sinat ullum absque præmio, licet nulli quid debeat, & licet omnia curet fieri in ipsorum laborantium salutem, sibi ipsorum felicitatem tanquam in emolumentum reputans: ipse licet nullius unquam indigus, sibi solus per omnia sufficientissimus existat.

§. XI.

§. XI.

Conductio quinta denique memoratur v. 6. ejusque *V. Conductio circa horam XI.* I. TEMPUS designatur: περὶ δὲ τὴν ἐνδεκάτην ὥραν, **circa undecimam autem horam**, h. e. sub seram vesperam, & in fine diei. Cum enim veteres sueverint diem semper in duodecim horas distribuere, æquales quidem quavis die, inæquales autem si dies diei componatur, longæ quippe ubi dies longi erant, æstivo tempore, breves autem cum brumali tempore dies decrevisset: semper igitur cum hora duodecima sol occidebat, & hora undecima proxima fuit ante solis occasum & ingruentes tenebras. Equidem veteres videntur quam maxime horas sex antemeridianas laboribus saltem impendere suevisse, reliquas autem frequenter adhibuisse ad indulgendum genio, ut edendo, bibendo, ludendo, dormiendo illas transfigerent. Noti sunt versiculi graeci, ab elegantis ingenii poëta vetere profecti, qui habentur in Anthologia Epigrammatum Græcorum, L. I. Cap. XCI. p. m. 256.

ἕξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται. αἱ δὲ μετ᾽ αὐτὰς,
γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς. i. e.

Sex horæ laboribus aptissimæ sunt, *quæ vero post illas sequuntur, literis demonstratæ*, ζῆθι h. e. *vive dicunt mortalibus.* Nimirum notæ numerantes græcorum, horæ septimæ ζ, octavæ η, nonæ θ, & decimæ ι, constituunt vocabulum ζῆθι, imperativum Atticum verbi ζάω vivo. Verum in vinea Dei omnis hora labori debetur, neque ulla vineæ negotiis subtrahenda est, ut ad genio indulgendum eam transferas. Ipse enim paterfamilias nullam horam sine solicitudine pro vinea sua dimittit, & sexta & nona & ipsa undecima prodit ad curanda vineæ suæ emolumenta. Ita enim 2. sistitur etiam hic nostræ

considerationi CONDUCENS, ἐξελθὼν, εὗρεν egressus invenit, imo quæsivit. Omni igitur hora expectandus est pater familias ad negocia officii vocans, & omni hora paratos nos esse decet atque accinctos ad operandum, quandocunque DEUS negotium obtulerit. Ne gravemur à mensa, & quacunque etiam necessaria corporis recreatione, surgere ad labores officii obeundos, ubicunque illi se obtulerint. Multo magis alia negotia his laboribus postponenda sunt, ut docemur Matth. VIII, 22. Luc. IX. 59. sqq. tanti enim momenti sunt vineæ hujus negotia, ut nihil quicquam potius habere debeamus illis conficiendis. Ipse Christus cibum sumere negligebat, ubi negotium officii succurrebat: cibum suum dicens esse exequi voluntatem ejus, qui ipsum miserat, & perficere ipsius opus. Jo. IV. 31-34. conf. Marc. III. 20. In vinea hac laborare, id vere est vivere, & tunc demum recte illud ζῆθι exequimur, cum laboribus his recte perfungimur. Illud autem εὗρεν non forte ineptius redditur quæsivit, quam invenit. Certe εὑρίσκω, æque ac Ebraeum מצא, sæpe notat non saltem casu obtingens, sed studiose quæsitum invenire. ut ex Jo. XII, 14. Prov. III, 4. VIII, 9. I, 13. patet. Nimirum hos nunc etiam operarios voluit invenire ad operas vineæ suæ, non antea neglectos: sed ex sapientissimo suo arbitrio, si non aliam ob causam, saltem ideo nunc adhuc vocavit, ut etiam his gratiæ suæ denarium hac etiam die posset erogare. Sed considerandi nobis adhuc curatius sistuntur hi ipsi, QUI in hanc ultimam diei horam CONDUCUNTUR, & hi quidem primo tanquam de otio suo increpati. Cum enim dixisset parabola: invenit paterfamilias ἄλλους ἑστῶτας ἀργούς· alios stantes otiosos, addit: καὶ λέγει αὐτοῖς· Τί ὧδε ἑστήκατε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί; & dicit

dicit eis: quid constitistis totam hanc diem otiosi? quæ ipsa increpatio, licet ad ornamenta etiam parabolæ magis pertinere videatur, certe tamen, si de vocatione ad ecclesiam & ad pœnitentiam parabola explicetur, commodissimam habet in apodosi adplicationem, quia nemo idoneam dilatæ suæ conversionis habet excusationem, cum omnes nunquam non sufficiente ad ecclesiam adeundam gratia invitentur, nec ulli integrum sit, vel tantillum in peccatis otiari, & tardare suam conversionem. Quia tamen increpatio hæc est instructorum ad exercendas vinitorum operas, & paratorum atque præstolantium labores; si igitur de vocatione ad peculiares cujusque diei in officio illo labores specialissima capiatur, poterit etiam sic in adplicatione increpatio talis locum habere, ut Christus ea indicet, debere quemque in officio suo, etiam absque specialissima vocatione, quærere quod agat in ipsis officii operibus, v. g. visitando quos novit vel animo vel corpore ægrotantes, tentationibus confligantes, persecutionibus pressos, erroribus infectos, vel expositos seductionibus, vitiis vacaturos, &c. tametsi is non ab ullo horum requiratur. Sed inuenimus conductos hosce secundo etiam sisti, tanquam se excusantes: v 7. λέγουσιν αὐτῷ. ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. dicunt ei, patri familias nempe increpati, quia nemo nos mercede conduxit, ideo otiosi in hanc usque horam substitimus. Non optima specie pollet ista excusatio, dum se otio suo vacasse dicunt, quia nemo ipsos mercede conduxerit. Certe enim culpa non vacant, qui rerum suarum in officio non satagunt, nisi ubi mercedis vel lucelli spes invitet, sive illi sint ministri verbi, sive ut Christiani considerentur, quisque in suæ vocationis negotiis. Debemus operas

nostras vineæ domini, quisque ex vocatione generali ac speciali, multo magis ex specialissima, tametsi nullam mercedem inde queamus expectare. Sed videtur vocabulum ἐμισθώσατο hic saltem adhibitum esse, quod indoles parabolæ de operariis mercede conductis id tulerit; in apodosi autem non nisi de peculiari ad opus aliquod requisitione interpretandum. Et quia paterfamilias excusationem hanc non reprehendit, innuere videtur Christus, posse illam nonnunquam locum habere. Quandoquidem enim quilibet paratus semper esse debeat requirentibus munia officii sui, & his quam maxime teneatur succurrere, non ei semper licebit ad non requirentes abire, ne destituantur interim requirentes. v. g. Casus in pastoralibus solet proponi, num tempore pestis minister ordinarius, non constituto ministro pestilentiario, teneatur visitare in cœtu suo peste infectos? Respondent: si requiratur ab his ministri opera, non posse ipsum eam denegare; non autem visitandos illos esse, si non petierint; tum ne absterreat non infectos a requirenda ipsius opera, ubicunque indiguerint ea, tum ne se ipsum absque necessitate periculo exponat contagii sibi contrahendi, ut sic totus cœtus laboribus ejus destituatur. Cum si requisitus saltem ad infectos abierit, possit facilius se & alios ex provida DEI pro ipsis cura erigere ad non timendum contagium. Patet vero hinc multo magis, pessime illos officio suo fungi, qui non se paratos in foro suo sistunt, imo neque ad non requirentes officii sui munia transferunt, sed conviviis, crapulis, ludis se dant, ut imparati sint etiam ad requirentes abire. Sed restat nobis adhuc circa illos ultima hora vocatos consideranda 4. MISSIO eorum AD LABORES: λέγει αὐτοῖς. ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα. dicit eis paterfamilias, abite etiam

am vos in illam vineam. Nec unius horæ laborem ſpernit DEUS, ſiquidem eum vineæ ſuæ proficuum viderit, & jubet etiam hos ſociam reliquis antea ablegatis adferre operam, & vocationis gratiam & vires & ſucceſſus ad illa quantulacunque negotia conferens. Imo additur etiam his 5. PROMISSIO MERCEDIS, dicente ad illos etiam patre familias, καὶ ὃ ἐὰν ῇ δίκαιον, λήψεσθε. & **quodcunque fuerit juſtum, accipietis.** Adſtringit etiam his fidem juſtitiæ ſuæ, & liberali promiſſione ſe debitorem vult fieri illis, qui ipſius gratiæ debent, quod non contemſerit prorſus illa die illorum labores. Nimirum vel ideo etiam hos ultima diei hora vocavit, ut antea dixi, ut etiam eis benefaceret gratioſa denarii exhibitione. Incongrue autem hanc promiſſionem hic reſpuunt interpretes Pontificii, quia Vulgata latina eam non exhibet, cum eam codices plerique græci, & Syrus interpres, & Patres græci ac latini exhibeant.

§. XII.

Pars SECUNDA parabolæ jam meditationi noſtræ ſiſtitur, **diſtributionem mercedis uniformem** proponens. quæ diſtributio memoratur, primo, ut **mandata** fuerit. Conſiderandum hic invenimus, 1. QUANDO fuerit mandata, v. 8. ὀψίας δὲ γενομένης, **veſpera autem facta,** audita hora duodecima, ſole jam occidente. quo ipſo pater familias ſe obſervare monſtrat legem divinam, quæ jubet operario mercedem dare, antequam ſol occidat. Devt. XXIV, 14. 15. Lev. XIX, 13. Veſperam hanc non commode vitæ cujusque finem notare, multo minus finem totius mundi, & extremum judicium, imo nec

Pars ſecunda diſtributio mercedis mandata

finem temporum Veteris Testamenti, supra jam observavimus. Convenientissime igitur de vespera cujusque diei naturalis, quam sol occidens constituit, interpretabimur. Prospexit enim DEUS etiam verbi ministris de quotidiana sustentatione ex officii sui functionibus auferenda. Paulus 1. Cor. IX, 14. scribit: ita & Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant, ex evangelio vivere. et Gal VI, 6: communicet, qui in verbo instituitur, cum eo, qui eum instituit, omnia bona. et Christus, cum septuaginta discipulos ad evangelium prædicandum ablegaret, jubebat eos edere atque bibere, quæ apud auditores haberent, quia dignus sit operarius mercede sua. Luc. X, 7. Non incongrua tamen est etiam Dorschei sententia, Commentario in quatuor evangelia, p. 322. vesperam diei dicentis esse *quodcunque tempus divinæ liberalitatis, quo DEO aliquid dare placuerit.* Id quod tanto facilius admitti potest, quandoquidem non tam presse ac rigide sit tenenda parabolæ litera, ut existimemus, non nisi interdiu, & sole nostram sphæram collustrante in hac vinea laborandum esse, neque patrem familias etiam noctu quandoque speciales ad officii negotia vocationes offerre. Vinea terrestris, a qua parabolam sumsit Salvator, utique non admittit labores, nisi lucente sole in ejus horizonte: sed quæ per illam significatur DEI vinea, ecclesia & regnum cœlorum, nullo non tempore labores capere potest suorum agricolarum. Et vineæ dominus, sicut die & nocte illam custodit, Jes. XXVII, 3, ita ubicunque viderit necessitatem ejus id exigere, vocat operarios, nocte non minus ac die. Exemplum nobis Paulus præbet Act. XX, 7. 31. Sol enim huic vineæ nunquam occidit, Jes. LX, 20. Quare fido ac diligenti operario neque somnus, nec nocturna quies præferenda unquam est hujus vineæ negotiis. Et sic etiam liberalis operarum remune-

rato-

ratio vesperam habet, quandocunque DEO placuerit exhibere sua beneficia suis operariis. Memoratur autem 2. QUIS mandaverit: λέγει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, dicit dominus vineæ. Non alium videtur dominum vineæ vocare, quam quem v. 1. ἄνθρωπον οἰκοδεσπότην dixerat. Idem enim, qui vineæ de cultura, & operariis de labore prospexerat, non potest non de operariorum alimentis solicitum se præstare. Id quod etiam Christum præstitisse videmus Luc. X, 7. Matth. X, 10. 1. Cor. IX, 14. Nec incongrue forte observatur, quod in præsenti tempore verbi habetur λέγει dicit; quia hæc perpetua quasi vox est domini, nullo die non se de eo solicitum exhibentis. Additur vero etiam 3. Cui mandarit, τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ procuratori suo, administratori, dispensatori, œconomiæ præfecto. Si quid in tota parabola ad ejus ornamenta tantummodo referendum, hoc certe est: nec opus esset, solicitos nos nimis esse, quisnam in apodosi per procuratorem sit intelligendus. Qui per patrem familias ipsum Patrem domini nostri JESU Christi intelligunt, ἐπίτροπον dixerunt ipsum esse Christum. Alii Spiritum S. sic indigitari existimarunt. Si quid hic determinandum foret, mallem per procuratorem intelligere divinam providentiam, non incongrua prosopopœia sic adpellatam, utpote cujus est, curam gerere omnium, quam maxime sustentationis atque vitæ hominum conservandæ, in primis illorum, qui DEUM timent, hoc est, in ejus servitiis se præstant operarios. Ps. XXXIII, 18. 19. *Oculus* sive providentia DEI *spectat timentes ipsum, expectantes gratiam ejus, ut eruat e morte animam eorum, & ad conservandam vitam eorum in fame* seu annonæ caritate. Ps. XXXIV, 10. 11: *Timete Dominum sancti ejus, quia nulla est egestas timentium eum; leones pauperantur & esuriunt, sed sectantes Dominum non destituuntur ullo bono. Ps.*

XXXVII,

XXXVII, 4: *Oblecta te super Domino, & dabit tibi desideria cordis tui, v.* 18. 19: *Novit Dominus dies* (etiam singulorum dierum necessitates provide cognoscens & liberaliter curans ac levans) *sincerorum, & hæreditas eorum in æternum erit; non pudefient in tempore malo, & in diebus famis satiabuntur.* Sed videmus jam 4. QUID paterfamilias procuratori mandasse memoretur, nimirum & solutionem mercedis, & solutionis ordinem. De priore hoc est mandatum: κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθόν. voca operarios, & redde iis mercedem. Avocare jubet a laboribus operarios ad quietem & gratiosam remunerationem, sub vesperam, quam ipse nunciat, qui suis est sol & scutum, qui dat gratiam & gloriam, qui non subtrahit bonum ambulantibus in sinceritate. Psalm. LXXXIV, 12. Notat tamen Jo. Ernestus Gerhardus in Analectis h. l. bene Jo. Olearium hinc colligere, nemini integrum esse absque voluntate patris familias cessare a demandatis laboribus. Ab ipso & vocatio ad laborem omni tempore est suscipienda cum promto obsequio: ab ipso etiam vocatio ad quietem, & ad fructus laborum percipiendos, acceptanda est, quandocunque ipsi placuerit, cum grato animo. Jubet enim ipse sub vesperam, quam ipse laboribus indicit, distribuere mercedem, revocatis ex vinea, h. e. a laboribus vineæ, operariis. Mercedem ipse adpellat coram procuratore, quod insequatur labores, licet gratiæ donum illa sit. & observamus idem, quod Matth. V, 46 *merces* vocatur, nuncupari *gratiam* Luc. VI, 32. Atque idem hoc loco obtinere indicat dominus vineæ, dum solutionis hunc servandum ordinem mandat, ut mercedem exhibeat procurator ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων, ἕως τῶν πρώτων exorsus a postremis usque

cum

dum veniat ad primos. Postremi hoc loco dicuntur absque dubio, qui hora undecima conducti fuerant, primi qui summo mane. Ratio enim talis mandati non alia potest commode allegari, quam ut primi monerentur, a gratia domini se capére, omnes quod accipiant. Licet vero non negaverim, quod Grotius observat h. l. hac ultimorum ante primos collocatione æqualitatem indicari in ipsa distributione servandam, sicut Act. VIII, 10, dum omnes a parvo usque ad magnum Simonis præstigiis attendisse memorantur, omnes in eo æquales extitisse innuantur: videtur tamen indicari simul illa DEI perpetua consuetudo, qua primo semper respicere solet humiles & contemptos, quam David prædicat Ps. CXIII, 5. sqq. qui etiam Psalm. XXXVII, 11. dicit: *humiliati hæreditate possidebunt terram, & oblectabunt se super amplitudine pacis*, sive omnigeni boni. Idem Salomo testatur Prov. XXIX, 23. & Petrus 1. Ep. V, 5: *DEUS superbis adversatur, humilibus autem dat gratiam.* Huc referri potest, quod Isidorus Pelusiota L. II. Ep. CLXXXIV. habet: *Major ei merces erit, qui non mercedis causa opus facit. Nam si vere studio virtutis atque amore tenereris, scires profecto, etiam remota compensatione, virtutem ipsam mercedem esse, & coronam, & decus ac ornamentum, in se ipsa quæ compensationem babeat. Sed quia tanquam re ipsa mercenarius de mercede anxie urges, suspicionem audientibus præbes, te, posito, mercedem non esse, minime facturum fuisse, ut virtutem coleres.* Hæc Isidorus. Tales autem revera fuisse, qui primi fuerant in vineam conducti, ex sequentibus in nostra parabola satis evadit manifestum.

§. XIII.

Ita enim in secunda parabolæ parte jam secundo loco memoratur distributio illa mercedis uniformis, uti

Distributio mercedis actu *facta*.

actu facta fuerit, & quidem. I. RESPECTU POSTREMORUM, v. 9. καὶ ἐλθόντες οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον. Et cum venissent, qui circa undecimam horam conducti, acceperunt singuli denarium. Exequitur curate procurator mandatum domini, & a postremis orditur erogare dona omnibus destinata. Superfluum erit de particula ἀνὰ observare, quod etiam Camerarius, Beza, Erasmus Schmidius, aliique annotarunt, non eam esse præpositionem, nec ab illa regi accusativum δηνάριον, sed a verbo: cum illa sit h. l. Adverbium, medicorum filiis inprimis frequens, quod æqualitatem in dispensandis observandam indicat, latine reddendum singulatim. Denarius, ut supra notavimus, significat diurnum illud stipendium, quo DEI provida cura unicuique operario quotidie exhibet, quantum sufficit ad vitæ sustentationem. quo nihil vetat referre omnem fructum, qui ex operis etiam ad animum oblectandum redundat, v. g. ex acquisitione animæ perditæ, conversione peccatoris, reductione errantis, emendatione deficientis, consolatione efficace afflicti, &c. unde nempe comparantur fratres, sorores, pater, mater, filii, &c. Matth. XIX, 29. idque omne ex gratia & liberalitate divina. Sed memoratur etiam eadem mercedis destributio 2. uti RATIONE PRIMORUM facta. qui v. 10. sistuntur, & quanta concupiscentes, &, quid acceperint. Quanta fuerit illorum cupiditas, indicatur: ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι ἐνόμισαν, ὅτι πλείονα λήψονται. Cum vero venissent illi primi, existimarunt, quod plus essent accepturi. Cum videant liberalitatem Domini in postremos, tantum abest ut inde commonefieri se sinant, se ex gratia ejusdem capere, quicquid

acci-

accipiant, ut potius præsumant dominum igitur obligatum esse, ut ipsis exhibeat multo ampliorem mercedem, cum suis laboribus plura quam illi meruerint. Peccant igitur statim πλεονεξίᾳ sive avaritia, ampliora sibi desiderantes, quam stipulati fuerant; peccant philavtia & arrogantia, suis laboribus sibi adeo placentes, ut existiment dominum non posse non plura ipsis soluere, quam pacto promissum fuerat, cum tantum soluerit aliis, quorum labores contemnunt, tanquam suis non comparandos; peccant etiam ingrati animi vitio, cum grates deberent domino, quod ipsos cito in vineam suam vocare dignatus fuerit præ aliis, tantum abest, ut ad grates humili cum reverentia domino agendas se parent, ut potius cogitent dominum ipsis ad grates teneri, imo ad præmia & largitiones amplissimas; peccant præterea invidia, cum non gaudeant de liberalitate domini ergo posteriores in laboribus exercita, quibus congratulari deberent, sed doleant quoque de bonis æqualibus aliorum. Vitium certe est, putare plus accipiendum esse a DEO, quam dat; quia dat omne quod promisit, nempe quantum cuique sufficit. Sed qui in ipso se oblectantibus dat desideria cordis eorum Ps. XXXVII, 4, ille ad desideria vitiosa improborum non facile condescendit. Inde quanquam majora sibi desiderarint hi operarii, dum tamen quid illi acceperint quærimus, dicit parabola καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον. & acceperunt etiam illi singuli denarium. Videtur illud etiam illi admirabundum fere loquentis affectum innuere, non quidem mirantis, quod illi non ex suo desiderio plura acceperint, sed potius quod illi adhuc quidpiam acceperint, qui se indignos exhibebant, qui vel tantillum acciperent; &

quod ex pacto denarium det illis, qui a pacto recedere volebant; imo mirari videtur sapientiam domini, non improbas hominum cupiditates explere curantis, attamen æqualia dantis beneficia malis & bonis, Matth. V, 45. & promissa sua ab indignis non retrahentis, sed ἀμεταμέλητα servantis gratiæ suæ dona & vocationem, Rom. XI, 29. Accipiunt igitur etiam hi promissum denarium, tantum capiunt, quantum & reliqui. Dat DEUS quotidie cuique suorum operariorum, quantum ei conducit, liberali benignitate: & beneficium est, quod non det cuique quantum ille desiderat, ne vitia hominum alat. Nos vero decet humili cum gratiarum actione suscipere, quicquid DEUS dederit, quantulumcunque id nobis videatur esse, cum plus semper det quam meruimus, qui nihil unquam meruimus. *Mores a pecuniæ amore alieni sunt hi: Contenti simus præsentibus.* Ebr. XIII, 5. ingens est quæstus pietas cum animo sua sorte contento. 1. Tim, VI, 6.

§. XIV.

PARS TERTIA Amissio gratiæ domini

Pergimus vero ad PARTEM TERTIAM nostræ parabolæ, quæ plenius docet, uti quidam operariorum gratiam patris familias amittant. Atque hæc tertia pars, licet eam plerique a secunda non sejungant, merito seorsim est consideranda, & quam maxime solicitæ subjicienda meditationi, utpote primaria, sola quippe pandens primarium parabolæ scopum, unde nempe fit quod primi evadant ultimi in regno cœlorum, h. e. nulli, & quod ultimi evadant primi, h. e. filii regni & cohæredes Christi: nempe non quod denarium temporalis remunerationis primo vel ultimo loco accipiant, sed quod illi antea ultimi gratiam patris familias humili gratoque animo sibi ser-

ſervent; iſti vero, qui antea primi, eandem perdant murmuratione, invidia, & præfidente ſuorum meritorum jactantia; unde juſtam ejus incurrant indignationem, eamque, niſi reſipiſcant, æternam. Duo autem in hac tertia parabolæ parte noſtræ meditationi exhibentur, primo cauſæ memorantur amiſſionis gratiæ domini; ſecundo declaratio juſtæ indignationis domini adverſus illos improbos operarios.

§. XV.

Cauſæ amiſſionis gratiæ domini tres indicari videntur, una animo & geſtibus, reliquæ etiam verbis proditæ. Siſtitur nempe I. ingratitudo ſive MURMURATIO, v. 11. λαβόντες δὲ ἐγόγγυζον κατὰ τοῦ οἰκοδεσπότου. cum vero accepiſſent denarium, murmurarunt contra patrem familias. Murmurare non eſt admirari, ut Salmeron, Cornelius a Lapide, aliique pontificii nugantur, ut meritis bonorum operum patrocinentur, & denarium de vita æterna meritis danda explicare poſſint, qua accepta murmuratio adhuc locum habeat: qualis enim ſit horum operariorum admiratio, ſatis produnt ipſorum verba, commate ſequente ſubjecta, & ſubjuncta patris familias adverſus illos reprehenſio. Murmurare in ſacris litteris (in profanis enim ſcriptoribus græcum γογγύζειν vix occurrit, niſi quod Julius Pollux, V, 89. de voce columbarum hoc vocabulum adhiberi notarit) eſt alicujus dicta vel facta, geſtu, opere, vel etiam verbis improbare, etiam cum indignatione & traductione apud alios, ſubmiſſa tamen voce quaſi, & clam fere illo adverſus quem murmuratur. Ita ſæpius Iſraelitæ adverſus Moſen murmuraſſe memorantur. v. g. Exod. XV, 24. XVI, 2. 7. 12. &c. conf. I. Cor. X, 10. Ita adverſus Chriſtum murmurabant ſcri-

Amiſſionis cauſa.

bæ & Pharisæi, quando apud Matthæum cum publicanis & peccatoribus cœnabat, Luc. V, 10. & Judæi, quando se panem de cœlo datum dixerat, Jo. VI, 41. 43. & ipsius discipuli, quando carnem suam & sanguinem manducandam & bibendum dixerat ibid. v. 60. 61. item in prima ecclesia Hellenistæ adversus Ebreos, quando viduæ ipsorum in quotidianis eleemosynis postponebantur. Act. VI, 1. Et Judas impiorum illorum empæctarum, ecclesiam turbantium, caracterem etiam hunc indicat, quod sint murmuratores, Epistolæ suæ v. 16. Quandoque tamen murmuratio de manifesta obtrectatione etiam tumultuationi juncta dicitur, v. g. Numer. XIV, 2. XVI, 41. Vulgi subtimidas mussitationes ac judicia de Christo significat Jo. VII, 12. 32. forte quia cum indignatione adversus Pharisæos & sacerdotes ei adversantes junctæ fuerunt. Et sic in nostra certe parabola murmuratio operariorum notat eorum insolentiam adversus patrem familias, qua, cum ipsos decuisset factum illius, tanquam factum viri gravis & prudentis, reverenter habere, & scrutari, quidnam eo ipsis velit indicare, dum postremis antea quam ipsis mercedem dari fecerit, num forte non satis fideliter, vel diligenter, vel accurate labores suos fecerint (ita enim ministri verbi fideles, etiam illi qui plurimis concatenatis laboribus a mane ad vesperam occupantur, quando alios vident multo otio frui, non tamen ideo se super illos efferunt, sed potius suæ tribuunt imbecillitati, quod plus laborandum ipsis sit, cum alii minore labore, sed præstantiore opera, breui tempore plus forte proficiant, quam ipsi tota die) ipsi contra de se grandia præsumentes, factum domini in suum vocant judicium, accusant, & damnant, quasi plena ad id potestate essent instructi; & cum, quod paterfamilias postremis ean-

eandem mercedem, quam ipsis, dari fecerat, nec tamen ipsis detraxerat quidpiam de promisso denario, debuissent hoc accipere tanquam specimen gratiæ domini in miseros illos, qui tam diu sine labore fuerant (miserum enim est carere labore) & cum eis gaudere, vel cum id debuissent ad humilitatis institutionem assumere, ipsi id non modo rapiunt in suscitabulum suæ concupiscentiæ, & fiduciam ac admirationem suæ diligentiæ suique laboris, ac desiderium mercedis majoris quam pacti fuerant, sed & in accusationem & improbationem facti domini. Quod si rem parabola significatam spectemus, sive conductionem operariorum de vocatione ad ecclesiam per veram pœnitentiam data interpretemur, sive de specialissimis ad singulas cujusque diei operas vocationibus, murmurare notat ingrati animi proditionem, Hinc quando Paulus Philipp. II, 14 jubet omnia facere absque murmurationibus, annotat Chrysostomus *satius est nihil agere, quam murmurando agere.* Et addit: *vitium istud crimen ingrati animi est. Qui murmurat ingratus est erga DEUM, qui vero ingratus est erga DEUM, is profecto blasphemus etiam est.* Idonea igitur hæc est causa amittendæ gratiæ domini. Quod idem Chrysostomus illustrat simili ex rebus humanis, dicens: *annon vides in ipsis domibus nostris hoc nobis semper in ore esse: satius est isthæc minime fieri, quam obmurmurando fieri? ac sæpe malumus ministerio quod nobis exhibetur, carere, quam murmurantem ferre.* Certe, cum omnes magnum in eo Dei beneficium agnoscere debeant, quo citius quisque ad laborandum in vinea domini vocatus fuerit, & quo plura ibi facere dignus fuerit factus; & cum igitur non possint non serio dolere, qui serius accesserint, quod illis DEI beneficiis non citius sint usi: manifeste illi, qui ideo murmurant, quod hi in temporalibus non posthabeantur ipsis

tota

tota die in laboribus vineæ versatis, ingratum produnt animum. Produnt nempe se dolere, quod non & ipsi diutius in alienis operibus, imo & in peccatis feriati sint; produnt se iterum amare peccata pristina, a quibus ad DEUM conversi fuerant, & malle se sua non reliquisse, non conversos fuisse, non tam cito Christum veram vitem agnovisse & coluisse; produnt se non amare vineam hanc, se pœnitentiæ & regenerationis statu excidisse, se malle post hac in suis laborare, imo & in mundo & peccatis feriari. Hi igitur merito ultimi fiunt, h. e. salute excidunt, licet accipiant tamen a divina liberalitate quotidie suum denarium temporalis sustentationis; quem vero ingrati detinent, non agnoscentes, quod gratia domini etiam hoc ipso eos ad pœnitentiam invitet. Sed etiam illi non minus rei sunt criminis ingrati animi, qui, quod specialissima vocatione ad plura negotia a prima luce obeunda accesserint, non humili cum gratiarum actione accipiunt denarium, quem divina providentia ipsis quotidie exhibet, & sibi plus quam aliis deberi præsumunt: cum non meminerint, se ideo etiam ad grates DEO teneri, quod dignos eos fecerit viresque & occasionem suggesserit plura laborandi in ipsius vinea; multoque igitur magis, quod laborem, quem ex ipsius gratia exhibuerunt, etiam remuneret suo denario: cum semper invenire possint, unde fateantur se hoc neutiquam meruisse, & quod veniam petere debeant suorum in laboribus defectuum, quod non exacte satis nec ad domini beneplacitum curate satis eos præstiterint. Est igitur *murmurare* hic indignari de factis DEI, & injustitiæ illum insimulare, quod non norit suum cuique tribuere. Atque hoc tamen singulis fere vesperis plures faciunt homines, suos saltem labores pensitantes, suas operas cum ope-

ris

ris aliorum, ſua bona cum aliorum bonis comparantes, ut, ſi optime etiam agant, hinc ſibi mercedem adhuc in futurum a DEO deſiderent, propter majora ſua opera & merita: quo ipſo tamen non advertentes indignationem divinam ſibi contrahunt: multo vero magis, ſi eis quæ adſunt contenti non ſint, ea faſtidiant, meliora ſibi deberi contendant, Deoque ea non ad ipſorum beneplacitum miniſtranti ſuccenſeant, imo ipſum eiusve providentiam ideo inficiari non erubeſcant. Sed exhibetur inter cauſas amiſſæ gratiæ domini etiam 2. INVIDIA primorum illorum inter operarios adverſus poſtremos, dum v. 12. introducuntur λέγοντες, ὅτι οὗτοι οἱ ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας, dicentes: nempe hi ipſi poſtremi unam horam opus fecerunt, & æquales nobis illos feciſti. Ubi accuſativus μίαν ὥραν caſus temporis videtur eſſe, ἐποίησαν autem abſolute poſitum abſque caſu, ubi idem eſt ac laborarunt, opus fecerunt. Qui verbi ποιεῖν ſignificatus non prorſus inuſitatus eſt, ut & Ebræi עשׂה, v. g. Ruth. II, 19. 1. Reg. V, 16. 1. Chron. XXII, 16 2. Chron. II, 7. 14. Alii tamen quartum caſum μίαν ὥραν a verbo ἐποίησαν regi volunt, ut ποιεῖν idem ſit ac διατρίβειν. ita Camerarius, Caſaubonus, Eraſmus Schmidius, Ludovicus de Dieu, Hammondus. Qui tamen verbi hujus uſus apud ſcriptores græcos alios extra Novum Teſtamentum vix occurrit. Quicquid vero ſit, extenuant murmuratores opus reliquorum, & invidiam ſuam produnt, juſtam certe cauſam perdendæ gratiæ domini. Ita enim ex ingrato in accepta DEI beneficia animo fluit invidia adverſus illos, quibus idem ipſe DEUS bene facit. Dum enim nihili ducunt homines ea, quæ ipſis ex divina benignitate ultra omne meritum ipſorum

obti-

obtigiſſe debebant agnoſcere, auertunt oculos ad illa, quæ alii accipiunt, & ægre ferunt DEUM aliis tribuere illa, quæ ſibi ſolis danda cenſuerant. Hoc ſpeciem eſſe *θεομαχίας*, agnovit antiquus poeta Palladas in Anthologia Græcorum Epigrammatum Lib. I. C. 83. p. m. 242.

Ὅταν στυγῇ τις ἄνδρα ὃν θεὸς φιλεῖ,	*Cum oderit quis virum, quem DEUS amat,*
Οὗτος μεγίστην μωρίαν κατεισάγει.	*Hic maximam ſtultitiam ſubinvehit.*
Φανερῶς γὰρ αὐτῷ τῷ Θεῷ κορύσσεται,	*Manifeſte enim adverſus ipſum DEUM armatur,*
χόλον μέγιστον ἐκ φθόνου δεδεγμένος.	*Bile maxima ex invidia occupatus.*
Δεῖ γὰρ φιλεῖν ἐκεῖνον, ὃν θεὸς φιλεῖ.	*Oportet enim amare illum, quem DEUS amat.*

Et diſertius Baſilius M. Homil. *περὶ φθόνου*, invidiam apellat *νόσον θεομαχίας διδάσκαλον. ἀνδροφονίας μητέρα, σύγχυσιν φύσεως, οἰκειότητος ἄγνοιαν, συμφορὰν ἀλογωτάτην, κακὸν ἀφόρητον, ὄφεως δίδαγμα, δαιμόνων εὕρημα, ἐχθροῦ ἐπισποράν, ἀῤῥαβῶνα κολάσεως, ὁδὸν ἐπὶ γέενναν, στέρησιν βασιλείας.* *Morbum pugnæ adverſus* ***DEUM*** *doctorem, homicidii matrem, naturæ confuſionem, ſodalitii* ſive cognationis *ignorantiam, jacturam abſurdiſſimam, malum intolerabile, ſerpentis documentum, dæmonum inventum, inimici ſementem, arrbam punitionis, viam in gehennam, privationem regni* cœlorum. Certe invidus & DEO & hominibus infenſum ac inviſum ſe exhibet: hominibus, dum illis invidet, dum eos eorumque dicta, facta, mores, virtutesque contemnit, extenuat, imo odit & calumniatur; DEO vero, dum odit quos videt DEO caros eſſe, & indignatur DEO, quod beneficia largiatur illis, quos is indignos putat, & quod non ex judicio invidi procedat in erogatione fortunarum, imo dum ſe

ſe ſupra DEVM extollit, & ſuum judicium ſupra DEI judicium, quem minime ſapienter diſpenſare bona ſua judicat, & qui ſapientius ea diſpenſare diſcere debuiſſet ab illo homine. Ex quibus ſatis patet juſtam hanc eſſe cauſam perdendi gratiam divinam. Cui accedit 3. PROPRIORVM MERITORVM PRAESVMTIO & fiducia, quam produnt in parabola operarii murmurantes, dum reliquos æquiparatos queruntur ſibi τοῖς βαστάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας, καὶ τὸν καύσωνα. **Illis qui portarunt pondus diei atque æſtum.** Conjunctiſſima videlicet ſunt vitia, contemnere alios, de ſe vero præclare ſentire; invidere aliis vel minima bona, propriis vero meritis compenſandis vix quædam ſatis magna putare. Ita operarii noſtræ parabolæ exprobrant domino, quod non conſideret ingentem laborum ſuorum prærogativam, qua per totum diem laboraverint, tot moleſtias tantumque ſolis æſtum pertulerint. Ita enim, notante Eraſmo Roterodamo, itemque Luca Brugenſi, *diei pondus* memorantes laboris diuturnitatem, *æſtum* vero allegantes laboris difficultatem & moleſtiam jactant. Vtroque ſimul produnt, qua mentis ægritudine labori incubuerint, atque uti ex vineæ, vitis, palmitumque nobilitate nullam ceperint laboris voluptatem, ſed quod majoris faciant ſuos ſudores, quam laborandi quam nacti fuerant felicitatem, de hac nullas ſe gratias debere domino volunt, pro illis autem plura dominum ipſis debere contendunt, quam pepigerant. Decet omnes ſingulis veſperis animo recolere, quanta DEI beneficia acceperint in ipſis ſuis laboribus, ipſo vires & dona Spiritus S. ſuggerente: & quo plura quisque hic laboraverit, eo plus proficiendi occaſionem & anſam nactus eſt in cognitione DEI & Chriſti, in cognitione myſteriorum regni DEI,

in cognitione providentiæ, curæ, & viarum Domini in animabus hominum. Hæc oportet nos singulis vesperis grata mente pensitare; & simul inquirere, ubi defecerimus in nostris laboribus, neque fideliter satis, satisque curate, sollicite ac diligenter laboraverimus, ideoque veniam humili & contrito corde petere, Deoque gratias agere quod non modo tantam longanimitatem in ferendis nostris defectibus exhibuerit, sed & nihilominus hujus diei denarium nobis præter omne nostrum meritum præbuerit, ejusque nobis gratiam imposterum servandam efflagitare, propter Christi meritum. Hæc qui negligunt, non modo se indignos omni illa domini gratia demonstrant, sed & prono cursu eo dilabuntur, ut sibi tribuant, suæ virtuti, diligentiæ, & indefessis studiis, quicquid profecerint, indeque DEUM sibi plurima præ aliis debere existiment, imo indignentur, si non suæ arrogantiæ suisque desideriis paria fuerint consecuti. Quo ipso non possunt non se ipsos gratia domini spoliare, coram cujus oculis gloriabundi stare non possunt. Ps. V, 6.

§. XVI.

Declaratio justa indignationis domini.

Atque hoc ipsum in parte hac tertia nostræ parabolæ docet, quæ secundo loco proponitur, declaratio justæ indignationis patris familias adversus istos jactabundos murmuratores. Ita enim ipse pater familias eam declarare introducitur, v. 13. I. DEFENSIONE SVAE IVSTITIAE. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν ἑνὶ αὐτῶν. ἑταῖρε, οὐκ ἀδικῶ σε. Ille vero respondens dixit uni illorum: Socie, non injuriam facio tibi. Vni dixit, antesignano reliquorum, eo ipso tamen unicuique murmurantium dicens, quod uni dixit. Quem dum socium compellat, annotat

Joh.

Joh. Henricus Schrammius, Theologus Marburgensis, in Dissertatione de Operariis in Vinea, anno 1721. habita p. 26. *Quum hæc vox apud græcos* collegam *significet*, sodalem (*Gallice, ut Beza observat ad hunc locum*, un compagnon) *videtur pulchre exprimere* Antichristum, *Judæ, hoc etiam nomine compellati, antitypum, qui heic per sarcasmum ita dici videtur, quia se Christi jactat* collegam & vicarium, *atque subordinatos sibi doctores habet qui JESU volunt haberi* focii. Dicit autem ei: non facio tibi injuriam. Injuste murmurat cui non fit injuria. Non est autem injustitia liberalitas in immeritos exercita, quando nemini subtrahitur quid de iis, quæ ille jure petere potest. atque licet postremis operariis plus datum fuerat, quam expectare potuerant, primis tamen de mercede pacta nihil quicquam dominus detraxerat. Docemur tamen hoc ipso, DEUM injustitiæ insimulari ab illis, qui non contenti sunt bonis quæ ipse dat. quo ipso blasphemiæ se reos exhibent, nam DEI opus est absque defectu. DEUS veritas est, & nihil iniquitatis, justus & rectus est. Devt. XXXII, 4. justus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Ps. CXLV, 17. absit ut cogitemus DEUM esse injustum, qui mundum judicat. Rom. III, 5. 6. Job. XXXIV, 10, Juste idignatur iis, qui ad plura ipsum danda teneri existimant, quam cuivis dat. Declarat autem paterfamilias justitiam suæ indignationis 2. EXPROBRATIONE INGRATI ANIMI murmurantium, pergens οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι; Nonne de denario convenisti mecum? Ingratitudo est & iniquitas non contentum esse acceptione eorum, quæ promissa fuerant, & plura postulare. Grates debentur mercedem promissam promte exhibenti, non vero murmuratio.

propter terena commoda prædicant, & ex contentione ac invidia, de quibus Phil. I, 15. 18. quos tolerat DEUS in vocatione generali & ſpeciali ſuis officiis fungi, quantumvis non ſincere agant, propriam gloriam, non gloriam DEI unice ſpectent, propria emolumenta non ſalutem auditorum ex animo quærant; quamdiu ſaltem doctrinam ſacram incorrupte proponunt, nec vita manifeſte prava plus diruunt vineam domini quam colunt; juſtæ tamen indignationi Domini, & niſi reſipiſcant in æternum duraturæ, ſubjacentes. Pergit vero pater familias juſtam ſuam declarare indignationem, 4. Ostensione Liberrimae Suae Gratiae: θέλω δὲ τούτῳ τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καὶ σοί. **Volo autem huic poſtremo dare ſicut & tibi.** Hoccine, dicit, liberrimi mei eſt arbitrii, dare poſtremis tantum quantum primis? Quid ad te, quod meæ eſt voluntatis? Quid audes limites ponere meæ libertati? Quid taxas id, de quo tibi non ad rationes teneor, in quo tibi non ſum obligatus, hoccine poſſum ex arbitrio meo agere? Hoc eſt gratioſa mea voluntas, dare huic ultimo ejusque ſociis, quantum tibi poſtulare potuiſti tuisque ſodalibus. Quid ægre fers, quod ego liberrima mea gratia volo, cum id agam absque omni tui defraudatione? Cum in humanis vix gravior ſit injuria, quam libertati alicujus officere, quidni omnipotentem ad juſtam indignationem provocaret, ſi gratiam ejus circumſcribere, & intra tui livoris ac invidentiæ cancellos reſtringere ſuſceperis? Cæterum, dum ſe dicit dare poſtremis ſicut primis, manifeſte iterum indicat ſe utrisque denarii ſolutione non æterna bona, quæ mali non æque cum bonis capere poſſunt, ſed temporalia donare. Sed & porro declarat paterfamilias juſtam ſuam indignationem 5. Demostratione Sui

Ju-

Juris, dum addit v. 15 Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; Aut anne integrum mihi eſt feciſſe quod volo in meis? Provocat his ad jus naturale, quod communionem bonorum ignorat, & ſuum cuique integrum vult, quo quisque in ſuis plena gaudeat poteſtate agendi quod velit, ſi vel omnia ſua vellet aliis donare: ut gravis ſit injuria limites ponere huic cujusvis de bonis ſuis liberrimæ diſpoſitioni. Quando enim magiſtratus leges ſumtuarias fert, non ea jus civium tollit de ſuis libere diſponendi, ſed vitia a ſuis civibus arcere ſatagit, luxuriam, ſcortationes, faſtum; honeſte ſua omnia erogandi jus juſtus magiſtratus nemini aufert. Laudatur merito Cyri apud Xenophontem dictum; *Optime pecuniam apud amicos deponi, neque ullos eis tutiores ac fideliores eſſe theſauros.* ac illud M. Antonii: *Hoc habeo quodcunque dedi.* itemque illud Alphonſi Siciliæ regis, qui interrogatus, quid ſibi ſervaret, cum multis tam multa donet? reſpondit: *ea ipſa quæ dono, cetera in meorum numero non habeo.* Et vult omnino cœleſtis paterfamilias, ut homines ad ipſius exemplum in aliorum commoda liberaliter ſua erogent; ſponte tamen & absque coactione, tanquam de iis quæ ipſis propria ſunt. ſicut cuique ſua circumvallavit quaſi, & in propria cujusque poteſtate eſſe voluit, ſeptimo decalogi præcepto. Sed & idem jus ſibi multo magis integrum eſſe vult, & vindicat juſta indignatione adverſus invidos liberalitatis ejus obtrectatores. Certe enim omnipotenti jus illud eripere ſtolide ſuſcipiunt, quicunque ægre ferunt paria ſecum bona a DEO accipere illos, quos tamen ipſi ſe multo inferiores, ac indignos illis bonis judicant. Adverſus quos in parabola noſter pater familias juſtam ſuam indignationem denique 6. declarat Increpatio-

TIONE INVIDIAE illorum, concludens: ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι; aut tuusne oculus malignus eſt, quod ego benignus ſim? Quidam codices habent εἰ. quod tunc interrogativum eſt, ut ſæpe. Plures vero codices disjunctivam particulam ἢ ſervant, quæ hoc fere innuit: ſi vel meum mihi jus te ſic evertere non cogitas, attamen tuam prodis invidiam, quæ in non minus crimen te præcipitem agit, dum ſpectare detrectas benignitatem meam, quam lætis oculis colluſtrare deberes. *Malignus oculus eſt* qui acerrime quidem aliquid videt, ſed videt cum ægritudine, indeque nictat, & mallet non videre. Quam maxime invidia ſe prodit oculis, qui livent, & quaſi exeduntur & conſumuntur in ſpectandis aliorum commodis. Unde malignus invidorum oculus dicitur, quia quod videt, videre detrectat, & aciem ſuam cohibere & claudere tentat ad cernendum id, quod pravus affectus ſubinde reſpicere inſtigat. Deſcribit hominem maligni oculi Salomo Prov. XXIII, 6. ſqq. dum ejus pane veſci vetat. Sicut idem C. XXII, 9. oculum bonum ex oppoſito vocat liberalem & benignum. Sic etiam latini, ut Grotius h. l. annotat, invido dicunt oculos dolere ex alienis commodis. Congrua habet Siracides, C. XIV, 8. 10. Indigniſſimum autem omnium eſt ægre videre, quæ DEUS facit: ad cujus opera ſpectanda & celebranda homo quam maxime eſt creatus, in quorum conſideratione ſummam omnes deceret capere oblectationem, qui in erogandis bonis ſuis nunquam non bonus & benignus eſt. Unde manifeſte invidus adverſus DEUM galeam criſtamque erigit, utpote a quo eſt omne bonum, quod quicunque homo poſſidet: cum tolerare nolit, quod ille bonus ſit. Ἀγα-

 θὸς

θὸς quam maxime non tantum bonum, sed & beneficum notat. unde DEUS κατ᾽ἐξοχὴν imo solus est ἀγαθὸς Matth. XIX, 17. qui nobis dat omnia opulenter ad fruitionem. 1. Tim. VI, 17. Quam maxime autem sibi opposita sunt, & adversa fronte dimicant benignitas & invidia. Egregie Plato in Timæo, p. 1047. e. Ἀγαθῷ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται Φθόνος· τούτου δὲ ἐκτὸς ὢν θεὸς πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. *Benigno nulla, nec ulla de re, nec unquam, innascitur invidia. Extra banc vero DEUS existens* h. e. ab ea alienissimus *omnia quam maxime voluit fieri sibi simillima.* Hæc homo gentilis, in pudorem multorum qui se Christianos venditant, & pati nolunt DEI benignitatem, & quod is non invidenter sua bona aliis elargiatur: qui igitur se longissime a DEO alienant, & non possunt non omnem ejus gratiam perdere, justissimamque ejus sibi contrahere indignationem.

§. XVII.

Apodosis Parabolæ

Hæc sunt, quæ parabola Saluatoris nostræ meditationi suggessit in ipsa sua protasi. Confirmat hæc Apodosis, quam Christus ipse subjecit v. 16. quæ duabus constat partibus, quarum prior indicat, quo fiat modo, ut metam hæreditatis æternæ non attingant quidam, qui tamen inter vocatos ad quam plurimas gratiæ divinæ operationes primi extiterint; si nempe remunerationes, etiam operarum cujusque diei temporales, non agnoscant gratuitas esse. posterior causam docet, cur sic primi fiant ultimi, quia nempe gratiam electionis sibi intervertant. Priorem Partem quod attinet, dicit Christus: οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι. sic erunt illi ultimi primi, & illi primi ultimi. Cum repetat

tat jam eandem γνώμην, quam proxime ante parabolam nostram inculcaverat, cui parabolam ipsam, mediante particula causali γὰρ, arcte connexuerat; dicatque jam, sic, & non aliter, erunt illi ultimi primi & primi ultimi: clarissime indicat, se non aliud quidpiam tota illa parabola docuisse, quam quomodo id quod antea dixerat, eveniat, ut qui ultimi fuerint antevertant primos, & qui primi extiterint evadant ultimi: nempe οὕτως, ita, hoc ipso & non alio modo, quo in parabola id sit enarratum; non tam quidem qua primam parabolæ partem, quoniam vocatione primi vel ultimi sint, vel plus minusve laboraverint; neque juxta secundam ejus partem, quoniam mercedem temporariam primi vel ultimi acceperint; sed secundum partem tertiam, quoniam gratiam domini vel humili grataque bonorum temporalium susceptione, fiducia omni in gratiam Domini, non in propriis operibus reposita, sibi retinuerint integram: vel eandem perdiderint, Dominum ingrata murmuratione, invida liberalitatis ejus improbatione, & arrogante suorum meritorum fiducia, ad justam indignationem provocantes, ut eos ad solorum temporalium bonorum fruitionem dimittat. Ita nempe ostendit se docuisse, quod ipsos apostolos oporteat solicite cavere, ne promissa ipsis insignia bona, etiam illa quæ in hoc mundo accepturi sint centuplo majora illis quæ reliquerint, suis laboribus debita præsumant, quoniam sic etiam ipsi possint gratiam vitæ æternæ & hæreditatis cœlestis perdere, æque ac quivis alii murmurantes, invidi, & suos sudores jactantes operarii, quantumvis primi fuerint in relinquendis suis, in sectando Christo, & in laboribus ipsis vineæ Domini. Quare etiam οὕτως illud non prorsus nullam ad priores parabolæ partes respectum habet, quin potius docet, ita secundum tertiam

partem primos evadere ultimos & gratiam domini ſibi intervertere, quoniam juxta primam partem etiam non agnoſcant ex gratia patris familias ſibi obvenire, quod ad plures paucioresve labores vocentur; & quod juxta ſecundam partem non agnoſcant ſtipendium terrenorum bonorum primis æque ac ultimis mera ex gratia dari, ut ejus inverſo ordine facta erogatione parabola inculcaverat. Ipſa vero ſententia quaſi proverbialis Vltimi erunt primi & primi ultimi, quod non aliud dicat, quam illos qui nulla merita habent, ad vitæ æternæ hæreditatem pertingere, illos vero qui meritis ſuis turgent, illa excidere & nullos in ea fore; optime ut puto intelligerur, ſi eam interpretemur tanquam a currentibus in ſtadio ad brabeum depromtam, quos inter primus quisque ſolus brabeum apprehendit, ultimi in ejus acceptione nulli ſunt. Vbi vero multoties accidit, ut, qui primi fuerant a linea, vel etiam currendo alios anteverterant, dein tardarentur in curſu & ab aliis antevertērentur, ut evaderent poſtremi. Ita enim ſæpius divinæ literæ vitam æternam metæ & brabeo aſſimilant, ad quam ſolicito curſu contendere debeamus. Ita Paulus Phil. III, 14: *ſcopum verſus proſequor brabeum ſupernæ vocationis DEI.* & 1. Cor. IX, 26: *ego ſic curro non tanquam in incertum.* & v. 24. *An non noſtis quod in ſtadio currentes omnes quidem currant, unus vero accipit brabeum*, reliqui nempe poſtremi nihil conſequuntur, ſcilicet in curſu intercepti ac impediti. ſicut Gal. V, 7. dicit: *Currebatis bene, quis vos interrupit?* & Ebr. IV, 1. *metuamus igitur, ne quando derelicta promiſſione ingrediendi in requiem DEI exiſtimetur quis ex vobis ὑστερηκέναι in extremis manere*, ut primus in curſu non evadat, nec apprehendat brabeum, faciem avertens a ſpectanda promiſſione brabei, curſu affectanda,

da, id quod fit murmurando, vel invidis oculis alios reſpiciendo, vel ad proprias virtutes, labores, ac merita mentem defigendo. Illuſtrari hoc poteſt ex parabola decem virginum, e quibus quinque ſtolidæ, quia ultimæ & tardius venirent, excludebantur ab ingreſſu ad nuptias ſponſi, & nullæ erant in regno cœlorum. Matth. XXV, 11. 12. conf. Luc. XIII, 24.-27. Licet igitur hæreditas vitæ æternæ, & brabeum, ad quod curſu intento properandum, denarius non ſit laboribus in vinea DEI quotidie præſtandis promiſſus, quæ absque omni laborum reſpectu, in fidei cuſtodia curſum cum Paulo 2. Tim. IV, 7 conſummantibus exhibetur; illa tamen perditur, ſi quotidianorum bonorum denarium, cum reſpectu ad labores exhibitum, non recipiamus animo humili & grato, eoque gratiam cœleſtis patris familias perdamus. Confirmat hoc PARS ALTERA apodoſeos, *cauſam* indicans, cur primi ſic evadant ultimi, & ultimi primi; quia nempe juxta parabolæ doctrinam, non omnes gratiam electionis ſibi ſervent. Sic enim concludit Chriſtus hunc ſermonem ſuum: πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί, **Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.** Communem multis docet eſſe vocationem, quia omnes in vinea Domini operarii vocati fuerant, non autem illis ipſis vocatis communem electionem, quia alii eam ſervantes, ex ultimis etiam primi evadant, alii eam perdentes, licet primi antea fuerint, fiant ultimi. Eſſe enim quosdam ex illis electos docet, quia pauci electi ſint; quosdam vero non electos, quia non par ſit electorum numerus numero vocatorum. Sunt igitur ultimi qui primi evadunt, & ex gratia domini brabeum vitæ æternæ aſportant, quia non omnes vocati pereunt, ſed ſunt in illis etiam qui electionis gratiam non perdunt, & qui actu electi ſunt: Sunt vero etiam pri-

mi, qui ultimi evadunt & brabeo vitæ æternæ non potiuntur, quia ex vocatis multis pauci ſunt actu electi, quia reliqui electionis gratiam perdunt, cum vocationis gratiam non grato animo receperint. Cadit igitur error Huberi, quod omnes vocati ſint electi. Imo, ne quidem omnes, qui terrenorum bonorum mercedem acceperant, electi ſunt, & brabeum vitæ æternæ conſequuntur, ſed illi ſolummodo, qui per fidem gratiam domini humiliter conſervant, & in ea perſeverant usque ad finem. Unde nemo vocationis ſuæ antiquitate, & laborum gravitate ac meritis, & amplitudine eorum, quæ propter Dominum vel reliquit, vel præſtitit, efferri debet, imo neque quod a Domino ampliſſimas acceperit remunerationes: multo minus ideo ſibi aliquid a Domino ſuo poteſt poſcere, nequidem in temporalibus plura ſibi, quaſi debita, deſiderare, quam accepit, nedum æterna bona ſibi ex ſuis meritis poſtulare: alias neque vocationis neque remunerationis prærogativa obſtabit, quo minus æternum pereat. Licet vero electionem non aliam hic innui demus, quam quæ eſt ad ſalutem æternam: non tamen inde colligendum erit, quod parabola de illa ſaltem vocatione in vinea egerit, quæ eſt ad pœnitentiam & ad ſalutem, non vero de illa etiam quæ eſt ad ſingulas cujusque diei in vinea DEI operas. Hæc enim ſpecialiſſima vocatio non eſt ſine præſuppoſita ſpeciali ad certa officia in regno DEI obeunda vocatione; & hæc ſpecialis vocatio non datur niſi illis, qui vocationem univerſalem illam ad pœnitentiam & ad ſalutem acceperant. Omnis igitur ad ſingulas operas in vinea DEI obeundas vocatus, eſt etiam vocatus ad ſalutem. Valet igitur ſententia hæc, **multi vocati pauci vero electi** non tantum de vocatis ſimpliciter ad

eccle-

ecclesiam & ad salutem, sed etiam de vocatis ad ministerium ecclesiæ, & ad multa in hoc ministerio quotidie obeunda negotia: imo si vera est & valida hæc sententia de illis qui quotidie ad plura negotia vineæ DEI vocantur, quod hi ipsi non omnes sint electi, imo pauci saltem ex illis, multo magis vera illa est de vocatis ad salutem simpliciter & ad pœnitentiam, quod & ex his, tametsi omnes homines sic vocati existant, pauci tamen saltem sint electi. Uti vero vocati ad salutem, & ad certa in Ecclesia officia, & ad quotidiana in eadem negotia, omnibus suis laboribus & acceptis prærogativis mereri neutiquam possunt, ut ipsi etiam electi ad salutem existant, & adprobationem ac beneplacitum Domini sibi vindicent, ut æternam quoque salutem consequantur, sed hanc, tanquam Christi hæreditatem, tantummodo fide in meritum Christi ad finem usque perseverante adipiscuntur: ita e contrario non est admittendum, quod ideo primi evadant ultimi, & ultimi primi, quia ex absoluto aliquo DEI decreto multi sint vocati pauci vero electi. Parabola enim diserte nimis docuit, quod neutiquam ex decreto patris familias omnia operariorum facta antecedente ultimi evaserint primi & primi ultimi, illi electi hi reiecti, sed quod paterfamilias utrumque decernere demum susceperit in respectu ad id, quod, qui ultimi fuerant gratiam ejus conservaverint fiducia in ipsius benignitatem, & humili grataque receptione beneficiorum ejus, quod omne non nisi fidei est in Christum efficacia; & quod, qui primi fuerant, murmuratione erga Dominum, invidia erga conservos, & amore erga se ipsos, suorumque meritorum jactantia, perdiderint gratiam Domini, & ad justam indignationem eum commoverint: ut igitur decretum illos abjiciendi demum insecutum sit illorum prava opera, uti decretum

de

de reliquis eligendis fiduciam illorum perseverantem in gratiam Domini, quæ non est nisi in JESU Christo Domino nostro data omnibus qui in ipsum vera fide credunt. Multi certe sunt vocati ex decreto DEI, nihil quidquam in hominibus respiciente, sed propter solum Christi meritum, omnia ad salutem pertinentia omnibus ac singulis promeriti, gratiam vocationis dante; multi sunt vocati ad quotidianas in vinea DEI operas; multi ad certa in eodem officia obeunda; multi imo universa hominum multitudo ad pœnitentiam, ad ecclesiam, ad regnum DEI, ad salutem vitamque æternam: neque quidquam gratia vocantis hic in hominibus quos vocat respicit quod afferant, cum omnes æque sint opus manuum DEI, omnes per peccatum corrupti, omnes natura sua jam filii iræ, & prolapsi ex gratia DEI, & destituti gloria imaginis DEI, omnes etiam per Christum redempti, cum ex illius redemtionis merito omnibus cum ipsa vocationis gratia exhibeat vires vocationi obsequendi, det media efficacia, offerat facultatem videndi audiendi & intelligendi vocationem, vim credendi & fide recipiendi eandem, facultatem desistendi a peccatis, & in vita nova ambulandi, vires operandi & laborandi in sanctis vineæ negotiis: pauci vero sunt electi, ex decreto DEI non saltem Christi meritum respiciente, sed etiam simul, uti illud vel ex oblatis viribus gratiæ fide fuerit receptum, vel ex malitiosa & pervicace virium oblatarum rejectione contemtum; ut quidem electi qui sunt, omnes sint electi respectu fidei gratiam redemtionis salvificam adprehendentis & conservantis; ut tamen pauci sint electi, quia pauci ex vocatis per fidem capaces sunt decreti, non nisi credentibus acquisitam per Christum salutem & vitam æternam vindicantis; quia vero plures ex vocatis illud decretum

DEI

DEI & conſilium de ſalute ſua ſuummet in exitium ſpernunt, neque igitur Chriſti & electionis, non niſi ob fidem in illum ſalutem decernere; valentis, participes fieri poſſunt, ſed per malitioſam & moroſam repugnantiam, & ſigillum in laboribus vineæ divinæ, & recipiendis illorum præmiis temporalibus, per murmurationem, invidiam, & ſuorum meritorum jactantiam, gratiam vocantis ſibi intervertunt, & juſtam ejus ſibi contrahunt indignationem. Ut igitur undecunque pateſcat, apodoſin parabolæ cum ejus protaſi, cunctisque ejus partibus, exacte conſentire.

§. XVIII.

Brevis dictorum ἀνακεφαλαίωσις.

Ut igitur paucis repetamus, quæ hactenus plenius enarrata fuerunt, **vinea** parabolica eſt eccleſia vera DEI. **operarii** ad vinitorum opera accincti & inſtructi, ſunt inprimis miniſtri eccleſiæ, ſuo tamen modo etiam in ſtatu politico & œconomico, quicunque ad eccleſiæ emolumenta curanda, ſuisque laboribus juvanda, obligantur, adeoque etiam unusquisque Chriſtianus. **Conductio** eſt quotidie unicuique divinitus ſuggeſta in ſui officii partibus laborandi occaſio, aliis copioſa obtingens, aliis rarior, & quandoque vix quaſi ſub veſperam. **Denarius** eſt quodvis emolumentum temporale ex præſtitis eccleſiæ laboribus in operantes redundans, tum in corporis & fortunæ facultatibus, tum in ſpiritualibus etiam bonis hujus vitæ. **Veſpera** eſt quotidie illud tempus, quo divina providentia & liberalitas ſua dona deſtribuit ſuis operariis, nullam diem absque ſuis muneribus effluere permittens; diſcrimen laborum quidem non attendens, attamen laborioſiſſimis quoque dans quantum ſatis eſt, imo plus

quam mereri possunt. Primi dicuntur duplici respectu, vel ratione plurium laborum, in commoda ecclesiæ exantlatorum, & quod diu in his laboribus & fruitione redundantium inde beneficiorum temporalium, corporalium pariter ac spiritualium, versati fuerint; vel ratione brabei assequendi, & hæreditatis vitæ æternæ, ad quam fide properantes, contento cursu reliquos antevertunt, cum contra tardi nimis & prorsus excludendi veniant, qui gratiam Christi sibi non in fidei humilitate conservant. Et sic ultimi etiam duplici dicti sunt respectu, vel ratione pauciorum in ecclesiæ emolumenta præstitorum laborum, & quod non æque diu in illis fuerint occupati, licet æqualia cum reliquis perceperint beneficia temporalia; vel ratione conservatæ gratiæ Christi & accessus ad hæreditatem vitæ æternæ, ad quam, tanquam in cursu ad metam retardati, ultimi accedunt, indeque brabeum non consequuntur. Causæ amissionis gratiæ illius sunt ingratus & murmurans animus, invidia, & præfidens propriorum meritorum præsumtio. Et ab his igitur vitiis suos apostolos, & una omnes in Ecclesiæ vinea operantes, quam maxime etiam in perceptione temporalium ex ecclesiæ servitiis beneficiorum, dehortari hac parabola Salvator satagit, ut & illa se tantum ex diuina gratia accipere meminerint, ne ex primis evadant ultimi: quia non omnes, etiam peculiarissima ad ecclesiæ operas vocationis gratia usi, sint electi ad vitam æternam. Faxit abundantissima & opulentissima Salvatoris nostri gratia, ut omnes ecclesiæ ipsius, quocunque in munere, ministrantes, in omni vocatione ejus mente grata agnoscant & venerentur divina beneficia; & sincero, fido, sollicito ac indefesso labore cœlestis hujus vineæ culturam prosequan-